ΤΗΣ ΕΝΑΔΟΣ ΤΡΙΣΥΠΟΣΤΑΤΟΥ

ΠΑΡΕΦΕΘΡΕΤΟΥΣΗΣ

RESOLUTIO

L. cunctos populos

1. C. de Summ. Trinit.

Quam

Permiſſu Ampliſſimæ Facultatis Juridicæ
in Academiâ Lipſienſi,

PRÆSIDE

POLYCARPO WIRTH,

Phil. & J. U. Doct. ac Profeſſ. Extraordinariô, Judicii Electoralis Inferioris Luſatiæ, & Facult. Jurid. Lipſienſ. Adſeſſore, nec non Collegii Min. Principum Collegiatô,

Publicæ diſqviſitioni
ad d. XVI. Calend. Junias,
ſubjicit

GABRIEL à BOJANOWSKY,
Eqves Polonus.

LIPSIÆ, Typis HŌNIANIS.

ANNO M DC IIL.

19.

THESIS I.

DE Facultatis Architectonicæ, qvam Jurisprudentiam à Romanis excultam, & inde ad nos propagatam eſſe oſtendit Matthæacius *l. 1. de via & Meth. Jur. c. 9. & 10.* ſcopô ac fine, duas notabiles ſententias protulerunt duo ſapientiæ & prudentiæ famâ notabiles Viri, Plato ac Ulpianus. Ille *in Epinomide* in hæc verba ſcribit: Ἦ καλῶς, ὦ ξενὲ, λέγεις. Εἰ γάρ σοι τοῦτο τέλος εἴη τῶν νόμων, θεοὺς προσπαίσαντι, καθαρώτερόν τε διαγαγόντι τὸν βίον, τῆς ἅμα τελευτῆς ἀρίστης καὶ καλλίστης τυχεῖν: i. e. *profectò pulcrè, ó hoſpes, diſſeris ſiqvidem tibi hic legum finis fuerit, ut Deum colenti & integerrimam tranſigenti vitam diſceſſus ſimul optimus & pulcherrimus contingat.* Alter Juris ſacerdotes hoc agere & cupere adſeverat, ut *bonos non ſolùm metû pœnarum, verùm etiam præmiorum exhortatione efficiant, l. 1. §. 1. ff. de J. & J.*

II. Utramqve in animô habuiſſe videtur *Theodoſius Magnus*, Imperator, judiciô Ammiani Marcellini *l. 29. Hiſtor.* perſpectiſſimus, dum Legislatoriæ ſuæ poteſtatis exercitium auſpicatus eſt ab Edictô ad Populum Urbis Conſtantinopolitanæ, III. Kal. Mart. Theſſalonicâ Gratianô A. V. & Ipſô I. Coſs. datô, in qvô, monſtratis & præmiis ac pœnis, notum fecit, ſe velle cunctos populos in Religione Chriſtianâ ſecundùm Apoſtolicam diſciplinam, Evangelicamqve doctrinam verſari: qvòd nempe illa ſola veros veri Dei cultores & integerrimè viventes ac bonos (etiam gentilium Plinii *l. 10. Ep. 23.* ac Imp. Antonini Pii apud Euſebium *l. 4. Hiſt. Eccl. c. 3.* teſtimoniô:) faciat, & in eâ ſe exercentibus ſvaviſſima contingat qvies, ut ait Juſtinus Martyr *in Dial. cum Tryphon.* vid. Idem *in Apolog. ad Anton. Pium Imp. & in lib de*

 vit.

vit Chriſtian. Tertullianus *in Apol.* Minutius *in Octaviô.* Marſilius Ficinus *in lib. de verit.Chriſtian.Relig.c.8.* Belold. *l.2 polit.c.1.n.29.*

III. Hinc non ineptè ducitur ratio, qvâ motus Juſtinianus hanc legem in Codice ſuô primam eſſe voluerit; qvippè ſuccinctè exponentem finem ultimum juris, ſummum & maximum hominis bonum, de qvô ſat ſcitè diſſerit Fortunius Garſia *in Tr. de ultim. fin. Jur. Civ. & Can. n. 10. 75. & per tot. Bortius apud Arumaeum T.1. de Jur. publ. diſc.30.c.3.th.1.* ad qvod idem Imp. veræ & immaculatæ Chriſtianæ fidei rectam confeſſionem refert *Nov. 132.* Erat autem *παιδείας* regulis omninò conveniens, finem juris exponere in principiô Libri, è cujus lectione Studioſos omnem legitimam ſcientiam animis ſuis amplecti juſſerat. *in Conſt. de rat. & methodo jur. docend. §. & qvia 5.*

IV. Sanè ob argumenti dignitatem, qvod eſt de Religione Chriſtianâ, à qvâ & æternam & temporalem felicitatem dependere, eâqve ſublatâ, publicam honeſtatem & diſciplinam, virtuteſqve pariter omnes in Republ. corruere, verè aſſeritur in Receſſibus Imp. *Ratisbon. de ann. 1532. tit. Concilium* betreffend. & *Auguſtan. de an. 1566.* §. wiewohl wir nun auf ſolches, ꝛc. hæc lex celebris ſemper habita, & non ſolùm à Juſtinianô, ſed ante eum qvoqve à Theodoſiô Juniore, in Codice Conſtitutionum Imperialium ejus nomen gerente, *l. 16. tit. 1.* & poſt ipſum à Leone Philoſophô *in l. 1 Βασιλικῶν tit. 1.* denuò qvaſi promulgata, tum inſuper à Græcis Legum Compilatoribus Photiô in *Nomocan. tit. 1. can. 1.* & Michaele Attaliatâ *in Synopſ. pragmat. tit. 3.* recenſita fuit.

V. Etiam Dd. & Juris Juſtinianéi Interpretes, hanc legem ſicut primam filiam ad nuptias amplâ cum dote producere conſveviſſe norant Cinus, Albericus, Baldus, Jaſon *in Lectur. 1.* Petrus de Vergnia *in addit. ad Butrigar. ad h. l.* qvæ tamen maximâ ex parte adventitia eſt, utut Jaſon *in lectur. 2.* ſe propriam allaturum glorietur, è variis materiis Juriſdictionis, Statutorum, contractuum, delictorum, uſurarum, teſtium, qvaſi ex *ἐράνῳ* collecta;

cùm

cùm tamen, ſi ad illius, (qvæ nobiliſſima certè pars eſt Juris publici in Sacris conſiſtentis) περιστάσεις & cauſas, ducente methodi & hiſtoriæ lumine, cura adſurgat, propriis & nativis illationibus ac conſectariis, in uſus præſentis ſeculi derivandis, dotari poſſit & debeat.

VI. Qvam provinciam qvalibuscunqve literaturæ copiolis, non qvidem occupare, ſed tentare fert animus; idqve nec inſubidum eſſe nec injurium opinamur: ſiqvidem in vacuum venimus, ejuſmodi legis hujus reſolutione, qvantum novimus, pro derelictô hactenus habitâ: & illô præceptô, ſic jura publica, ut privata, ſic antiqva ut recentia tractare, legumqve rationes ab origine cauſisqve primis repetere, diſcernere, expendere (qvod ex elogiô T. Ariſtonis IC. apud Plinium ſconſtructum, Catholicon juris eſſe ait Jacobus Godofredus *Diſc. Hiſtor. ad L. qviſqvis C. ad L. Jul. Majeſt. c. 1*) ad hanc militiam nos auctorari arbitramur.

VII. Principiò proinde Textum Legis dividere decet; ſemper enim facilius eſt partium particulatim potiri, qvàm ſimul totius. Partes verò uniuscujusqve legis tres eſſe perhibent, proœmium, capita, ſanctionem, *l. ſanctio 41. ubi Dionyſ. Godofr. tit. 2 ff. de pœn. Rittersbuſ. ad § ſancta 10. J. de R. D.* qvæ *in l. decere 3. l. cum recta 5. C. de Summ. Trinit. l. omnem 42. l. pen. & ult. C. de Epiſc. & Cler. l. 1. & ſeqq. C. de Vet. Jur. enucl. l. 1. & 2. C. de Offic. Præt. Afric.* omnibusqve Novellis manifeſtè conſpiciuntur: in propoſitâ tamen *L. cunctos populos*, duæ tantummodò dantur; ipſa nempe Lex ſive præceptum, juſſusvè Imp. Theodoſii, & ſanctio; de qvibus jam ſeparatim agendum erit.

SECTIO I.

VIII. Adgredientibus reſolutionem partis prioris ſubdiviſio facienda eſt, qvoniam juxta illud Attaliatæ *in Synopſ. tit. 3.* diſtributio ſive partitio rem εὐσύνοπτον & dilucidam facit. Qvinqve itaqve in conſiderationem hîc veniunt, primò Auctor, à qvô, deinde populi, qvibus Lex data eſt; tùm occaſio & cauſæ, qvæ

Auctorem impulerunt; poſtea ipſum argumentum; & deniqve intentio Auctoris, ſive in qvem finem, & cujus rei conſeqvendæ cauſâ illam promulgaverit.

IX. Prius qvod attinet, Inſcriptio trium Imperatorum nomina exhibet, Gratiani, Valentiniani & Theodoſii, unde dubium emergit, an omnibus acceptô ferenda ſit? an uni ſolum, & cuinam? Sed illud meritò rejicitur: qvamvis enim moris fuerit, pluribus ſimul exiſtentibus Imperatoribus, ex æqvô legibus & edictis omnium nomina præſcribere, unus tamen revera auctor fuit ſingularum, qvod deprehenditur ex *l. 7. C. Theod. de Maleſ. & Mathem.* qvæ trium Imp. Valentiniani, Valentis & Gratiani nomina præfert, ſed ex locutionis genere ſingulariæ perſonæ conveniente, & ex his, qvæ ibi narrantur, conſtat, ſolius Valentiniani eſſe, nec obtinuiſſe Conſtitutionem ab unô, qvamvis communi nomine, emiſſam in partibus Imperii, cui alter præerat, niſi aliâ & novâ Conſtitutione ab eódem repetitam, apparet *ex l. 2. & 4. C. Theod. de proxim. Comit. Diſpoſit.* item *l. omnes 11. & l. hi qvi ſcævi 19. cum l. ſeq. C. Theod. de Hæret.*

X. Cùm itaqve Gratianus, Valentinianus & Theodoſius Imperium Romanum diviſis gubernarint partibus; ut hiſtoriæ *Ruffini l. 2. c. 14.* Theodoreti *l. 5. c. 6. Sozomeni l. 7. c. 4. Zoſimi l. 4.* teſtantur, ceſſeritqve Orientale Theodoſio, Occidentale prioribus duobus, alterutri lex noſtra aſſignanda eſt. At non Gratiano; ille enim Orthodoxam pietatem cuſtodierat, & Occidentem ab Hæreſibus immunem conſervaverat, veluti liqvet *ex l. 2. C. de Hæret. l. olim pro religione 4. C. Theod. eod. Theodoret. d. l. 5. c. 2. & 6. Sozomen. d. l. 7. c. 4.* nullam igitur edicendi cauſam habuit: multò minus veriſimile eſt, Valentinianum, cui mater Juſtina Arianæ blaſphemiæ aconita miſcere cœperat, fidei, qvæ Græcô verbô *ὁμοουσίας* appellabatur, profeſſionem promotam cupiiſſe.

XI. Reſtat ergò *Theodoſius*, qvem ſupra *th. 2.* ut Auctorem laudavimus, qvod non ſolùm Sozomenus *d. l.* diſertis verbis prodit; ſed & tùm inſcriptio ad populum Urbis Conſtanti-

nopo-

nopolitanæ, qvæ ſedes Imperii Orientalis ad eum ſolum pertinentis, & ſubſcriptum Theſſalonicæ nomen, ubi eô tempore qvô lex hæc data eſt, nullus alius Imperator præter eum præſens fuit, ceu omnes hiſtoriæ loqvuntur, indicat. Accedit ratio, qvod hæc Lex non alium Auctorem arguat, qvàm egregium adſertorem & defenſorem Concilii Niceni, & acerrimum oſorem dogmatum in eo damnatorum, omnisqve ἐθελοθρησκείας, qvalem extitiſſe Theodoſium idem Hiſtoricus, legesqve ab eô latæ, ut *l.2.C.de Summ.Trinit. l.pen.C.Theod.de Fid.Cathol.l.25.C.Theod. de Epiſc. Eccleſ. & Decim. l. 6. cum aliqvot ſeqq. C. Theod. de Hæret.* abundè confirmant, & paſſim qveruntur Zoſimus *d.l.* ac Symmachus *in Epiſt.* cùm contra Gratianus patris Valentiniani imitatione, omnibus in Oriente ſectis conventus agendi libertatem lege conceſſerit, teſtibus Socrate *l.5 H.E.c.2 & 4.* Sozomenô *l.7. H.E.c.13.* Ammianô Marcellinô *l.30. Hiſtor.*

XII. Inventô ita Autore, circa ipſius perſonam duo inqvirenda: 1. qvô jure, ſuô, an alienô, poteſtatem ſanciendi de Religione Chriſtianâ (qvæ legis hujus ſubjectum eſt,) Theodoſius habuerit? 2. qvouſqve illa ſe extenderit? enimverò, qvemadmodum ſupra Jurisdictionem ſuam jus dicenti impunè non paretur, *l.ult.ff.de Jurisdict. Rubr. & t.t.C ſi a non compet. Judic. judic. l.duumvirum 53.C.de Decur.* ſimiliter fruſtra legem obſervari poſtulat, qvi ferendi poteſtate caret, vel abutitur; ſiqvidem ab eâ Lex robur & uſum ſuum habet, *arg.l.ult.C.de LL.* unde Princeps pater legis ſcitè vocatur *in Nov. 12. c.4.*

XIII. Et reperiuntur certè, qvi, ut Baldus alicubi loqvitur, os ſuum in cœlô ponere, & de poteſtate Principis, ſpretô *l.3.C. de Crimin.Sacril.* fulmine, diſputare audent; nec erubuit Petrus de Vergnia *in addit. ad Butrig. h.l.* contra meros, ut ait, Legiſtas adſerere, Imperatorem poteſtatem Jurisdictionalem in ſpiritualibus potius uſurpatione habere, qvàm jure & bonâ ratione: qvos tamen refellit tùm ipſa praxis & experientia, tum ratio hæc maximè prægnans, qvod, cui ſalus ſumma Reip. commiſſa eſt, eidem qvoqve commiſſa & conceſſa dicamus oportet, ſine

qvibus.

qvibus illa explicari neqvit: *arg l 2.ff.de Jurisd.* Jam certum eſt, ſine aliqvâ religione neqve coaleſcere neqve perſiſtere poſſe Rempubl., ideoqve omnes JCti & Politici, *ὠσεβείας φυλακὴν ἀνθρώπων*, Mercurio Triſmegiſto, & religionem Reipubl. fundamentum eſſe, Ciceroni *l.1.de Nat. Deor.* unanimi conſenſu credunt. *Coraſius ad l.2.ff. de LL. Reinking.l.3. claſs.1.de regim.ſecul & Eccleſ.c.1.n.10. Gregorius Tholoſanus l.12.de Rep.c.4. Arniſæus l.2. de jur. Majeſt. c.6.*

XIV. Eqvidem non concedimus qvidem in partes eorum, qvi ſacroſanctam, qvam colimus, religionem pro inſtrumentô ſtatus habent; nec aliâ propè fini profitentur, qvàm ad magnas Reip. ſuæ utilitates, tanqvam titulum adqvirendi & bellis extendendi imperium, aut medium devinciendi ſibi animos hominum; ob qvam cauſam Regem qvendam Indum religionem Chriſtianam ſubditis ſuis conceſſiſſe narrat Renatus de Luſinga *l.2.de Increm. conſerv. & caſ. Imper.c.1.* à qvâ ſententiâ nec alieni videntur Ariſtoteles *l.5.Polit.c.11.* Cicero *l.2.de Divin.* Et talis, & ad talem finem directa fuit olim Religio Romanorum, ut appareret ex Livió *l.1.* Tacitô *l.3. annal. c.26.* Varrone *apud Auguſtinum l.3.de civit. Dei c.4. & l.6.c.5.* hodie eſt Machummedanorum, Sturmius *ſerm.2.de Bell.Turcic.* Idemqve de Moſaicâ ſive Judæorum religione, ſed falſò, eſt judicium Juſtini *l.36. Hiſtor.c.2.* Taciti *l.5. Hiſtor.c.4.*

XV. Veruntamen cùm etiam Chriſtiana Religio in Republ. exiſtat, nec res humanæ aliter tutæ eſſe poſſint, niſi qvæ ad divinam confeſſionem pertinent, & regia, & ſacerdotalis defendat auctoritas, fatente Leone Papâ *Ep.96. ad Pulcheriam Imperatricem, relató in c.res autem humanæ XXIII. q.5.* Finis qvoqve ac ſcopus, qvi, ut omni Legislatori juxta *th.1.ac.2* ſic maximè Chriſtiano Principi præſtitui debet, eò ferat, ut non tantùm vitæ hujus, benè, tranqvillè, & beatè tranſigundæ ratio, ſed æternitatis etiam cura habeatur, *arg. Nov.43 ibid potentiæ noſtræ ſubditi noſtri ſive vivant ſive moriantur, curæ ſunt, & Nov. 77. in pr. Lælius Zechius l.2. de Princip. c.1. in pr. Heresbachius l.2. de educ. Princ.c.11.*

inde

Inde ſeqvi omninò putamus hôc reſpectû tenus, ut omnes Reges ac Principes poſſunt, ſic Theodoſium in *h.l.* poteſtatem ſanciendi de Religione rectè uſurpaſſe.

XVI. Et qvidem ex jure Majeſtatis propriæ, non ex indulgentiâ, qvi dum Romæ præſidebat, Papæ; ut ſomniat Gloſſa *in c. in Synodo diſt. 63.* tanqvam Legiſlator, non qvaſi accenſus & miniſter poteſtatis ſacerdotalis, cujus decreta exeqvi eum oportuerit, qvale officium Imperatoribus & ſeculi Poteſtatibus *ex c. 1. & c. ſi Imperator. diſt. 96. cap. ſolita. §. præterea X. de Major. & Obed.* Canoniſtæ, & cum illis P. Gregor. Tholoſanus *l. 13. de Republ. c. 1. n. 21.* Fachinæus *l. 8. Controv. jur. c. 1.* alliqve deferunt. oppidò erroneè. ſiqvidem Eccleſiam, qvæ in hâc vitâ militat, politicæ poteſtati ſubjicem eſſe docent Apoſtoli, Paulus *in Ep. ad Rom. c. 13. v. 3. & ad Tit. c. 3. v. 1.* ac Petrus *Ep. 1. c. 2. v. 11. 12.* confitentur priſci Eccleſiæ Doctores Auguſtinus *Ep. 50. ad Bonifac. & l. 2. contr. Petil. c. 92.* Athanaſius *in Apol. ad Conſtant.* Juſtinus *apol. 2.* Ambroſius *Ep. 88. ad Eugen. Imp.* Euſebius Samoſatenſis Epiſcopus *apud Theodoretum l. 4. Hiſt. Eccleſ. c. 15.* Gregorius Magnus *l. 2. Ep. 61.* qvin Donatiſtarum hæreticæ impietati hoc illorum dicterium, *Qvid nobis, & Imperatori?* in cauſis nimirum Eccleſiaſticis, tribuit Optatus Afer, *citatus ad hoc à M. Ant. de Dominis l. 6. de Rep. Eccleſ. c. 5. n. 162.*

XVIII. Hoc jus Majeſtatis Imperatores Romani Chriſtiani ſibi ſemper adſeruerunt. Conſtantinus Magnus in literis ad Alexandrum, ſe famulum præpotentis Dei conſtitutum, ait, propter ipſum religionis inſtitutum; ut populum illius tum verbis compellando, tûm miniſterium diligenter erga eum præſtando, tûm acriter admonendo ad mutuam concordiam traducat. *Euſebius lib. 2. de Vit. Conſtant. c. 67. & 68.* Theodoſius Junior *Nov. de Jud. Samar. &c. tit. 3.* inter cæteras ſollicitudines, qvas amor publicus pervigili cogitatione ipſi indixerit, præcipuam Imperatoriæ Majeſtatis curam eſſe perſpexit veræ religionis indaginem. Juſtinianus *Nov. 6.* ſe maximam teſtatur habere ſollicitudinem

circa vera Dei dogmata, & circa Sacerdotum honeſtatem. Carolus Magnus *in Conſtit. contra hæreſin Elipandinam §. 11. apud Goldaſt Tom.1.Conſtit.Imper.* adfirmatò dicit, ſe congregationi Sacerdotum arbitrum adſediſſe, diſcreviſſe, & Deo dante decreviſſe, qvid eſſet firmiter tenendum. Imperator qvoqve Carolus V. aliqvoties profitetur religionis curam ratione officii Imperatoris à ſe ſuſcipi debere. *Receſs. Imper. Spirenſ. de anno 1544. §.* erſtlich der ſtreitigen *Religion, &c. Receſs. Wormac. de ann. 1545. §.* Dieweil wir aber/ꝛc. *Receſs. Auguſt. de anno 1548. §.* nach dem auch jn berührten Rathſchlag ꝛc.

XVIII. Rectè proinde Demetrius Chomatenus *Reſp. ad* (qvod extat *l. 5. Jur. Canon. Græco-Rom.*) Ὁ βασιλεὺς, οἷα κοινὸς τῶν ἐκκλησιῶν ἐπιστημονάρχης καὶ ὢν καὶ ὀνομαζόμενος, συνοδικαῖς γνώμαις ἐπιστατεῖ, καὶ τὸ κῦρος ταύταις χαρίζεται. ἐκκλησιαστικαῖς τάξεις ῥυθμίζει, καὶ νομοθετεῖ βίῳ, καὶ πολιτείᾳ τῶν τῷ βήματι; h. e. Imperator, tanqvam communis Eccleſiarum ἐπιστημονάρχης exiſtens & nominatus, ſynodalibus præſidet ſententiis, & robur illis indulget: Eccleſiaſticos ordines componit, & legem dat vitæ, & communitati eorum, qvi Altari ſerviunt. & paulò poſt ſcribit: πλὴν μόνου τοῦ ἱερουργεῖν, τὰ λοιπὰ δὲ ἀρχιερατικὰ προνόμια σαφῶς εἰκονίζει ὁ βασιλεὺς. i. e. ſolò ſacrorum myſteriorum miniſteriò exceptò, cœtera pontificalia jura exactè repræſentat Imperator: & ſubdit rationem: ὅτι καὶ χριστὸς Κυρίου ὁ κατὰ καιροὺς βασιλεύς ἐστι, διὰ τὸ χρῖσμα τῆς βασιλείας: i. e. qvia unctus Domini eſt qvisqvis pro tempore Imperator, propter unctionem Imperialem. Et hôc intuitû Euſebius Conſtantinum Imp. communem Epiſcopum à Deô conſtitutum, *l. 1. de vit. Conſtant. c. 37.* & ipſemet ſe Epiſcopum extra Eccleſiam ſive templum appellavit *apud eundem l. 4. c. 24.*

XIX. At dubitaret nônnemo, cùm diverſiſſima ſint Sacerdotium & Imperium, illud divinis miniſtrans, hoc humanis præſidens, *Nov. 6. in præf. c. duo ſunt diſt. 6.* qvomodo in perſonâ Imperatoris miſceri poſſint? Sed in regimine Eccleſiaſticô ſeparari debet τὸ ἱερουργεῖν, ſecundùm Chomatenum, & τὸ νομοθετεῖν, ſive

ſive interna poteſtas, & externa, ut noſtrates loqvuntur: illa, conſiſtens in diſpoſitione & diſpenſatione rerum ſpiritualium, qvales ſpiritum hominis regere, fide inſtruere, ſacramentis munire, verbô Dei paſcere, ligare, ſolvere, &c. ſolis perſonis eccleſiaſticis ſive clericis ſarta relinqvitur, nec qvicqvam de illâ uſurpare Imperator, aut qvisqve Princeps jure debet: hæc verò, qvæ circa perſonas & res Eccleſiæ extra templum civiliter exercetur, Imperatoribus aliisqve Principibus Majeſtatis jure competit, docente Dn. Carpzoviô *de Leg. Reg. Germ. c. 2. ſect. 2. n. 11.*

XX. Neqve tamen externam hanc reſtringendam arbitramur ad res duntaxat temporales, & ad negotia Clericorum cum Laicis communia, de qvibus plurimæ extant leges *Tit. C. de SS. Eccleſ. Tit. C. de Epiſc. & Cler. & alibi*, ſed eandem ſimul comprehendere ad cultum divinum pertinentia. *Gilkenius ad h. l. 1. n. 8.* Qvamvis enim Imperatoria ſive Regia poteſtas ad ſupernaturalem finem directa non ſit; qvemadmodum tamen pater filiis ſuis proſpicere, non ſolùm qvò optimè & beatè vitam agant, ſed etiam omnia externa adjumenta præſtare, ut vitâ potiantur æternâ; ſimiliter & Princeps ad eadem ſuis ſubditis ſuppeditanda tenetur: eſt enim eorum & patriæ pater. Sic qvæ fides tenenda, præcipiunt omnes leges *in Tit. C. de Summ Trinit.* & Edictum illud poſtremum Juſtiniani, qvod extat *T. 1. Jur. Græco Roman. lib. 8.* ſic de ſacris myſteriis ſimilibusqve diſponitur, *Nov. 58. Nov. 123. c. 2. Nov. 137. c. 2. Nov. Leon. 4. & 15.*

XXI. Diſcuſſis jam, qvæ circa Auctorem Legis inqvirere decuit, diſpiciendum ſuccedit, qvibus Lex lata ſit. Fit autem illud palam tum ex inſcriptione legis, qvæ eſt *ad populum Urbis Conſtantinopolitanæ*; tùm ex ipſô contextû, *cunctos populos, qvos clementiæ noſtræ regit imperium*, *vel* (ut Codex Theodoſianus habet:) *temperamentum*. Supra verò §. 10 jamdum ex Hiſtoricis probatum dedimus, Theodoſio ſubjectum fuiſſe Imperium Orientale, qvod di-

ſtributum in duas præfecturas Prætorii, Illyrici Orientalis, qvæ duas diœceſes habuit, Macedoniam ac Daciam; & Orientis, cujus qvinqve fuerunt diœceſes, Oriens, Ægyptus, Aſia, Pontus, & Thracia; totius caput & ſedes Conſtantinopolis, *vid. comment. Pancirolli in Notit. Imp. Orient.* Sozomenus *l.5 H.E.c.4.* qvæ urbis nomen meruit κατ' ἐξοχὴν, tanqvam Nova Roma, *l.5. C. de oper. publ.* ſicut veteri Urbis nomen per excellentiam tribuitur *in l.1. ff. ad L. Jul. de Amb. l. 1. §. 4. ff. de Offic. Præf. Urb.* *Brechæus, Gaddæus in l. 2. ff. de V.S.*

XXII. Sed & eadem verba ad occaſionem & cauſam, qvæ ſe præbuit huic legi promulgandæ, nos deducunt, preſſiùs conſiderata, & accuratiùs diſcuſſa. Qvia enim vocabulum, *cuncti*, ſignificat conjunctim omnes, *Feſtus in v. cuncti*, refertur q; generatim ad ſingula, qvæ nominis ratio complectitur: *Fronto lib. de differ. voc. Spiegelius in Lexic. jur. v. cuncti.* idcircò dum Lex ait: *cunctos populos, qvos clementiæ noſtræ regit Imperium, in tali volumus religione verſari*; reſpectus habetur ad ſingulas utriusq; Præfecturæ Prætorii Diœceſes, & ad ſingularum Diœceſium ſingulas ſimul provincias; (qvarum catalogus invenitur in laudatâ Notitiâ Imperii Orientalis) univerſim enim in ſingulis iſtius Religionis confeſſionem, qvam lex hæc continet, prædicari & obſervari vult Imperator.

XXIII. Erat autem eô tempore non uniformis in iſtis Diœceſibus & Provinciis Eccleſiarum facies. Illyrium enim ad Macedoniam uſqve Arianæ peſtis contagiô intacta, vetuſtam fidem ab Apoſtolis traditam, inqve Nicænô Conciliô confirmatam, ſemper integram conſervaverat: at in Oriente, omnes Eccleſiæ ſchiſmate laborabant, ſectisq; diviſæ erant, Arianorum, Macedonianorum, Eunomianorum, Novatianorum; è qvibus Ariani, freti brachiô ſeculari, orthodoxos plerisqve in locis templis ejecerant, in exilium egerant, ferrô, flammis, undis impugnarant, adeoqve Conſtantinopoli, qvô, ut de Româ ait Tacitus *l.15. annal.*

hab. c. 44. cuncta undiqve atrocia aut pudenda confluxerant, Nicenæ fidei confeſſores in exiguam cellulam conjecti erant, qvemadmodum fuſiſſimè recenſent, Socrates *l. 4. & 5.* Theodoretus *l. 4. & 5.* Sozomenus *l. 6. & 7.* cauſam malo præbente levitate Conſtantii, malitiâ Valentis, *Theodor. d. l. 5. c. 7.* & lege Gratiani, libertatem & αὐτονομίαν omnibus, tribus exceptis, religionibus indulgente. *Socrat. d. l. 5. c. 4. Sozom. d. l. 7. c. 3.*

XXIV. Hæ diſſenſiones circa religionem & pepererant, & parturiebant ſobolem multò neqviorem, ſeditiones & tumultus, maximè in plebe Conſtantinopolitanâ; ex qvibus poſtea enaſcebantur peſtes illæ Imperiorum, ςάσεις & perduelliones; his qvi imperium adfectabant, allicientibus in ſuas partes, qvos noverant ab Imperatore in religione diſſentire, & eapropter exagitari. Sic Procopius & Theodorus paganæ ſuperſtitionis cultores, factâ ſpe reſtituendorum templorum & ſacrificiorum, in Valentem accenderant. *Ammianus Marcellinus l. 26. & 28.* Sic Maximus poſtea contra Valentinianum prætextû defenſionis fidei orthodoxæ bellô inſurrexit. *Theodoret. l. 5. c. 13. Ruffinus l. 2. c. 16.* Hinc & illud ſeqvebatur malum, qvòd barbaræ nationes, Gothi, Alani, Hunni, vel in commilitium à perduellibus adſcitæ, vel obſervatis inteſtinis diſſidiis, ſuâ ſponte Imperii provincias miſerè deprædarentur. *Zoſim. l. 4.*

XXV. Theodoſius itaqve ingentem malorum publicorum arborem dejecturus, prudenter animadvertit, nihil actum iri, radice niſi penitùs erutâ & conciſâ. Ante alia proinde ſtatim ſuſceptô Imperiô Eccleſiarum concordiæ curam complexus, *Theodoret. l. 5. c. 6. Auguſtinus l. 5. de Civ. Dei c. pen.* optimum factô cenſuit, variam & miſcellam religionem, Gratiani lege inductam (qvam fovere eorum eſt, qvi ſubditos, ut de priſcis Ægypti Regibus narrat Diodorus Siculus *l. 2. Biblioth.* ὁμονοῆσαι ſive concordes eſſe nolunt:) prohibere, Arianorum veſaniam, qvam legitimè in Conciliô Nicenô damnatam noverat, amoliri, & fidem ὁμουσίας, ut tunc vocare ſolebant, qvam totus Occidens, & in ſuis partibus Illyriciana Præfectura, unà cum Ipſô, confitebatur in

 Orien-

Oriente reponere, & conſtabilire. *Socrates l.5. c. 6. & 7. Theodoret.d.l. Sozomen.l.7. c. 4.*

XXVI. Ne verò opprimere ſubditos videretur, ſi repentè nullâ lege indicatam religionem ſuſcipiendam præciperet, monendos eos primò duxit ſuam de Religione confeſſionem edendo, qvia nec ſic inflectere ſenſus

Humanos edicta valent, qvàm vita regentis; *Claudian in Paneg. in IV. Conſ. Honor.* & omnis in fide error monendo magis qvam minando tollitur; juxta Auguſtinum *Ep. 65.* hanc itaqve Legem Conſtantinopolin præmiſit, *Sozom. d. l.* qvâ indicat ſe velle in ſuô Imperiô unam & eandem ubiqve religionem obſervari, & cauſam addit, cur hoc velit, ſupereminens putà & abſolutũ dominium per omnes Provincias Imperii Orientalis, Majeſtatis à Gratiano in ipſum transſcriptæ jure ſibi ſoli competens.

XXVII. Elici hoc poteſt ex verbis, *qvos Clementiæ noſtræ regit Imperium, vel* (ut ad hanc rem aptius *in Cod. Theod. l.2. de Fid. Cathol.* legitur:) *temperamentum*. Etenim qvi ſic reguntur, ut regimen omne non aliunde qvàm à clementiâ regentis temperamentum, & moderamen accipiat, ibi qvi Reip. præeſt, nullis jam exceptionibus, non precariò jure parendi (ut Tacitus de gente Suionum loqvitur *lib. de Morib. German.*) imperat; Eſt qvippe clementia virtus regum, qvæ ſe flectit citra id, qvod meritò conſtitui poteſt. *Senec. lib. 2. de Clement. c.3.* Unde in illâ Reip. formâ, qvod Principi placuit, legis habet vigorem; *l.1 ff. de Conſtit. Princ.* nec populus aliud dicendi jus habet, qvam illud æoli ad Junonẽ mihi juſſa capeſſere fas eſt. *Virg. l. 1. Æn.*

XXVIII. Monſtrat ergò Theodoſius his ipſis verbis, Jus non eſſe populo contradicendi, cùm ipſe nec Imperii Orientalis provincias, nec Majeſtatis jura ex collatione populi, ſed à Gratianô, qvi in illas, velut in hereditatem patrui ſucceſſerat, ex donatô accepiſſet. Atq; adeò primus hic Imperator illud axioma, qvô etiamnun hodie utuntur Politici, *cujus eſt Regio, ejus eſt de Religione diſpoſitio*, *Matth. Steph. l.2. de Juriſdict. p.2. c.7. n.455.*

Leo-

Leopoldus apud Arumaeum T.1. de jur. publ. Diſc.24 q 3. condidiſſe videtur: qvod & in Imperiô Romanô-Germanicô a Cæſare & Statibus approbari docent Commentatores *ad Conſtit. Imp. de pace religioſa de anno 1555.*

XXIX. Ratio cui innititur, ex th.13. & ſeqq. petenda. Illud autem hinc rectè ſubſumitur, tùm poteſtatem ſanciendi de religione, qvæ in regione, aut urbe, aliâve univerſitate coli debet, tùm jura epiſcopalia, inter qvæ eſt poteſtas diſponendi de ceremoniis & ritibus, lectionibus & cantionibus in cultû divinô, & conventibus ſacris publicis obſervandis, illi ſolùm competere, qvi habet jus territorii, ſive die Landsobrigkeit; (ſuperioritatem putà ſublimis & regiæ jurisdictionis univerſalis in omnes territorii incolas & convenas, *Knichen de jur. territ. c.1.*) nihil autem talium ſibi jure vindicare, qvi gaudent titulo jurisdictionis particulari, ut ſunt idiomate germanicô nuncupati Cent-Frais-Lehn- oder Zinſ-Herrn; *Colerus Conſ.34. n.125. Knichen d.l.c.3 n.240. Leopold. loc. cit. q.3. & ſeqq. Dilling in Compoſ. pac. c.6. q.32.* nec etiam qvi jus patronatûs in certô diſtrictû exercere habent, qvemadmodum in caſû & cauſâ illuſtri inclutam Facultatem Juridicam Lipſienſem Menſ. Decembr. 1646. reſpondiſſe novimus.

XXX. Cùm ex dictis jam conſtet, qvô Autore, qvibus Populis, qvâ occaſione & cauſâ Lex noſtra lata ſit, argumentum nunc porrò ejuſdem evolvendum; qvod eſt ***religio***, non qvidem omnis, & qvæ juxta Ciceronem *l. 2. de Invent. c.36.* ſuperioris cujuſdam naturæ curam ceremoniamq; adfert; ſed ***Chriſtiana*** ſicut *ex §.1. hujus l.* conſtat, cuiqve ſoli illa deſcriptio Mercurii Triſmegiſti à Lactantio *l. 2. de Orig. error. c.15.* approbata, Ἐυσέβειαν εἶναι γνῶσιν τοῦ Θεοῦ, i. e. religionem eſſe cognitionem Dei, verè convenit, argumentô textus ſacri *in Evang. Johann. c.17 v.3.* Sumitur enim vocabulum Religionis hîc loci non pro reverentiâ & metû Divini Numinis conſcientiæ inhærente, velut *in l. eum qvem 79. §.1 ff. de judic. l.1 ff de jurejur. l.2. C de R.C. Budæus in annot. ad l.1. §. exempli v. ſuperſtitioſum ff de ædil. edict.* neqve pro

cultû

cultû Dei, & curâ ceremoniarum ac rituum in illô adhibendarum; *ceu in l.2.ff.de J.& J.l.1.C.de Haret.& paſſim apud Auctores;* ſed pro articulis fidei, qvam, ut loqvitur Athanaſius, *in Symb.* niſi qvisqve fideliter firmiterqve crediderit, ſalvus eſſe non poterit; qvemadmodum eôdem ſenſû uſurpatum extat *in l. nullus 2.l.nemo 4.C.de Summ. Trinit. l. omnes 2, l. Manichaos 4.§.1.C de Haret, Gloſs. Bartol. n.5. Molinaus n. 8. ad h. l.*

XXIX. Neqve tamen de omnibus articulis fidei Chriſtianæ in hâc lege diſponitur, ſed, ut rectè advertit Henricus Scotanus *in Comment. erotemat. ad Tit. C. de Summ. Trinit.* de illis tantùm, de qvibus tunc temporis maximæ erant in Eccleſiâ, præſertim in partibus Orientis, controverſiæ, *vid. ſupr. th. 23.* qvod ex ipſis legis verbis evidens eſt, qvæ ſic ſonant: *In tali volumus religione verſari, qvam D. Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis religio usq; adhuc ab ipsö inſinuata declarat; qvamq; Pontificem Damaſum ſeqvi claret; & Petrum Alexandriæ Epiſcopum, virum Apoſtolicæ ſanctitatis: hoc eſt, ut ſecundùm Apoſtolicam diſciplinam, Evangelicamq; doctrinam Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti unam Deitatem ſub pari majeſtate & ſub piâ Trinitate credamus.*

XXXII. Duplici modô confeſſionem ſuam, in qvâ cunctos qvoqve populos ſui Imperii verſari vult Imp. Theodoſius edidiſſe & propoſuiſſe notant Bartolus *n.1.* & Caſtrenſis *n.1. ad h.l.* primò implicitè, deſcriptione ſcil. topicâ & vulgari, deindè explicatè, definitione expreſſâ & accuratâ. Prior deſumitur à cauſâ fidei ſive doctrinæ Chriſtianæ orthodoxæ inſtrumentali, ſive miniſteriali, i. e. à Doctoribus Eccleſiæ, qvi partim prima fidei fundamenta poſuerunt, partim in eâdem fide & conſangvinitate doctrinæ perſtantes tempore promulgatæ hujus legis publicè docebant, & contra hæreticorum impugnationes eam defendebant;

qvo-

qvorum tres nominantur, *Petrus Apoſtolus, Damaſus, & Petrus Alexandriæ Epiſcopus.*

XXXIII. De Petrô Apoſtolô adſerit Imp. eum religionem tradidiſſe Romanis; unde Bernardus Waltherus *l.2. Miſcell. jur. c.3.* ſatis colligi putat, D. Petrum Apoſtolum Romæ fuiſſe, & vivâ voce docuiſſe, idqve ne qvis tantum Imperatorem vanitatis arguere qveat, teſtimonia Dionyſii, Irenæi, Hieronymi, utpote antiqviſſimorum & fide digniſſimorum auctorum profert: qvâ in ſententiâ ὁμόψηφον habet Mercerium *l. 2. opin. & obſerv. c. ult.* At Molinæus *in Comment. ad h. l. 1. 2.* conſeqvens illud negat, & vocabulum *Romanis* explicat de ſubjectis Imperio Romano, *arg. l. in orbe 17. ff. de Stat. homin.* inter qvos etiam fuère Judæi, *l. Judæi 8. C. de Jud. & Cælicol.* qvorum, non gentilium, Apoſtolum fuiſſe Petrum conſtat *ex Epiſt. ad Galat. c. 2 v. 7.*

XXXIV. Molinæi interpretationi favet tùm incertitudo hiſtorica; multis qvippe argumentis traditionem illam, qvòd Petrus Romæ fuerit, impugnant multi, inter qvos Velenus *in pecul. tract. ap. Goldaſt. Tom. 3. de Monarch.* & Meierus *in Tranſcen. Theol in 2. lacbrym Eccleſ. de Pap. Roman. pag. 74.* tùm qvòd hæc lex principaliter directa ſit ad Eccleſias Diœceſium Orientis, Aſiæ, Ponti, Bithyniæ, Cappadociæqve; *v. ſupr. th. 21. 23.* velut conjici qvoqve poteſt *ex l. 3. C. Theod. de Fid. Cathol* (qvæ ab eôdem Imp. ad Auxonium Proconſulem Aſiæ annô ſubſeqvente miſſa eſt, & repetitionem noſtræ legis continet;) Theodoretô *l. 5. H. E. c. 8.* & Sozomenô *l. 7. H. E. c. 9.* qvibus in locis Apoſtolum Petrum Evangelium prædicâſſe in confeſſô eſt, & conſtat ex ipſiusmet *Epiſtolâ priore c. 1. Euſebiô l. 3 Hiſt. Eccl. c. 1.*

XXXV. Veruntamen, qvia, ſive ex fide veri, ſive ex inveteratâ opinione apud antiqviores, Petrum Romæ fuiſſe, docuiſſe, & martyrium ſubiiſſe pro certô habitum, *Tertullian. de Præſcr. contr. Hær. c. 36. de Baptiſm. c. 4. in Scorpiac c. ult. Epiphanius in Panar l. 1 tom. 2. hær. 27. Euſebius l 2. H. E. c. 14. & l. 3. c. 1. Chryſoſtom. in Pſalm. 48.* omnesqve hiſtoricos in eô conſentire, ait Chemnitius

vit Chriſtian. Tertullianus *in Apol.* Minutius *in Octaviô.* Marſilius Ficinus *in lib. de verit. Chriſtian. Relig. c. 8.* Belold. *l. 2. polit. c. 1. n. 29.*

III. Hînc non ineptè ducitur ratio, qvâ motus Juſtinianus hanc legem in Codice ſuô primam eſſe voluerit; qvippè ſuccinctè exponentem finem ultimum juris, ſummum & maximum hominis bonum, de qvô ſat ſcitè diſſerit Fortunius Garſia *in Tr. de ultim. fin. Jur. Civ. & Can. n. 10. 75. & per tot. Bortius apud Arumaeum T. 1. de Jur. publ. diſc. 30. c. 3. th. 1.* ad qvod idem Imp. veræ & immaculatæ Chriſtianæ fidei rectam confeſſionem refert *Nov. 132.* Erat autem παιδείας regulis omninò conveniens, finem juris exponere in principiô Libri, è cujus lectione Studioſos omnem legitimam ſcientiam animis ſuis amplecti juſſerat. *in Conſt. de rat. & methodo jur. docend. §. & qvia 5.*

IV. Sanè ob argumenti dignitatem, qvod eſt de Religione Chriſtianâ, à qvâ & æternam & temporalem felicitatem dependere, eâqve ſublatâ, publicam honeſtatem & diſciplinam, virtuteſqve pariter omnes in Republ. corruere, verè aſſeritur in Receſſibus Imp. *Ratisbon. de ann. 1532. tit. Concilium* betreffend. & *Auguſtan. de an. 1566.* §. wiewohl wir nun auf ſolches, ꝛc. hæc lex celebris ſemper habita, & non ſolùm à Juſtinianô, ſed ante eum qvoqve à Theodoſiô Juniore, in Codice Conſtitutionum Imperialium ejus nomen gerente, *l. 16. tit. 1.* & poſt ipſum à Leone Philoſophô *in l. 1* Βασιλικῶν *tit. 1.* denuò qvaſi promulgata, tum inſuper à Græcis Legum Compilatoribus Photiô in *Nomocan. tit. 1. can. 1.* & Michaele Attaliatâ *in Synopſ. pragmat. tit. 3.* recenſita fuit.

V. Etiam Dd. & Juris Juſtinianêi Interpretes, hanc legem ſicut primam filiam ad nuptias amplâ cum dote producere conſveviſſe notant Cinus, Albericus, Baldus, Jaſon *in Lectur. 1.* Petrus de Vergnia *in addit. ad Butrigar. ad h. l.* qvæ tamen maximâ ex parte adventitia eſt, utut Jaſon *in lectur. 2.* ſe propriam allaturum glorietur, è variis materiis Jurisdictionis, Statutorum, contractuum, delictorum, uſurarum, teſtium, qvaſi ex ἐράνῳ collecta; cùm

cùm tamen, ſi ad illius, (qvæ nobiliſſima certè pars eſt Juris publici in Sacris conſiſtentis) περιστάσεις & cauſas, ducente methodi & hiſtoriæ lumine, cura adſurgat, propriis & nativis illationibus ac conſectariis, in uſus præſentis ſeculi derivandis, dotari poſſit & debeat.

VI. Qvam provinciam qvalibuscunqve literaturæ copiolis, non qvidem occupare, ſed tentare fert animus; idqve nec inſubidum eſſe nec injurium opinamur: ſiqvidem in vacuum venimus, ejuſmodi legis hujus reſolutione, qvantum novimus, pro derelictò hactenus habitâ: & illô præceptô, ſic jura publica, ut privata, ſic antiqva ut recentia tractare, legumqve rationes ab origine cauſisqve primis repetere, diſcernere, expendere (qvod ex elogiô T. Ariſtonis IC. apud Plinium conſtructum, Catholicon juris eſſe ait Jacobus Godofredus *Diſc. Hiſtor. ad L. qviſqvis C. ad L. Jul. Majeſt. c. 1.*) ad hanc militiam nos auctorari arbitramur.

VII. Principiò proinde Textum Legis dividere decet: ſemper enim facilius eſt partium particulatim potiri, qvàm ſimul totius. Partes verò uniuscujusqve legis tres eſſe perhibent, proœmium, capita, ſanctionem, *l. ſanctio 41. ubi Dionyſ. Godofr. tit. 2 ff. de pœn Rittersbuſ. ad § ſancta 10. J. de R. D.* qvæ *in l. decere 3. l. cum recta 5. C. de Summ. Trinit. l. omnem 42. l. pen. & ult. C. de Epiſc & Cler. l. 1. & ſeqq. C. de Vet. Jur. enucl l. 1. & 2. C. de Offic. Præt. Afric.* omnibusqve Novellis manifeſtè conſpiciuntur: in propoſitâ tamen *L. cunctos populos*, duæ tantummodò dantur; ipſa nempe Lex ſive præceptum, juſſusvé Imp. Theodoſii, & ſanctio; de qvibus jam ſeparatim agendum erit.

SECTIO I.

VIII. Adgredientibus reſolutionem partis prioris ſubdiviſio facienda eſt, qvoniam juxta illud Attaliatæ *in Synopſ. tit. 3.* diſtributio ſive partitio rem εὐσύνοπτον & dilucidam facit. Qvinqve itaqve in conſiderationem hîc veniunt, primò Auctor, à qvô, deinde populi, qvibus Lex data eſt; tùm occaſio & cauſæ, qvæ

Auctorem impulerunt; poſtea ipſum argumentum; & deniqve intentio Auctoris, ſive in qvem finem, & cujus rei conſeqvendæ cauſâ illam promulgaverit.

IX. Prius qvod attinet, Inſcriptio trium Imperatorum nomina exhibet, Gratiani, Valentiniani & Theodoſii, unde dubium emergit, an omnibus acceptô ferenda ſit? an uni ſolùm, & cuinam? Sed illud meritò rejicitur: qvamvis enim moris fuerit, pluribus ſimul exiſtentibus Imperatoribus, ex æqvô legibus & edictis omnium nomina præſcribere, unus tamen reverâ auctor fuit ſingularum, qvod deprehenditur ex *l. 7. C. Theod. de Malef. & Mathem.* qvæ trium Imp. Valentiniani, Valentis & Gratiani nomina præfert, ſed ex locutionis genere ſingulariæ perſonæ conveniente, & ex his, qvæ ibi narrantur, conſtat, ſolius Valentiniani eſſe, nec obtinuiſſe Conſtitutionem ab unô, qvamvis communi nomine, emiſſam in partibus Imperii, cui alter præerat, niſi aliâ & novâ Conſtitutione ab eôdem repetitam, apparet *ex l. 2. & 4. C. Theod. de proxim. Comit. Diſpoſit.* item *l. omnes 11. & l. hi qvi ſcævi 19. cum l. ſeq. C. Theod. de Hæret.*

X. Cùm itaqve Gratianus, Valentinianus & Theodoſius Imperium Romanum diviſis gubernarint partibus; ut hiſtoriæ *Ruffini l. 2. c. 14.* Theodoreti *l. 5. c. 6. Sozomeni l. 7. c. 4. Zoſimi l. 4.* teſtantur, ceſſeritqve Orientale Theodoſio, Occidentale prioribus duobus, alterutri lex noſtra aſſignanda eſt. At non Gratiano; ille enim Orthodoxam pietatem cuſtodierat, & Occidentem ab Hæreſibus immunem conſervaverat, veluti liqvet *ex l. 2. C. de Hæret. l. olim pro religione 4. C. Theod. eod. Theodoret. d. l. 5. c. 2. & 6. Sozomen. d. l. 7. c. 4.* nullam igitur edicendi cauſam habuit: multò minus veriſimile eſt, Valentinianum, cui mater Juſtina Arianæ blaſphemiæ aconita miſcere cœperat, fidei, qvæ Græcô verbô ὁμουσίας appellabatur, profeſſionem promotam cupiiſſe.

XI. Reſtat ergò *Theodoſius*, qvem ſupra *th. 2.* ut Auctorem laudavimus, qvod non ſolùm Sozomenus *d. l.* diſertis verbis prodit; ſed & tùm inſcriptio ad populum Urbis Conſtantinopo-

nopolitanæ, qvæ ſedes Imperii Orientalis ad eum ſolum pertinentis, & ſubſcriptum Theſſalonicæ nomen, ubi eô tempore qvô lex hæc data eſt, nullus alius Imperator præter eum præſens fuit, ceu omnes hiſtoriæ loqvuntur, indicat. Accedit ratio, qvod hæc Lex non alium Auctorem arguat, qvàm egregium adſertorem & defenſorem Concilii Niceni, & acerrimum oſorem dogmatum in eo damnatorum, omnisqve ἐθελοθρησκείας, qvalem extitiſſe Theodoſium idem Hiſtoricus, legesqve ab eô latæ, ut *l. 2. C. de Summ. Trinit. l. pen. C. Theod. de Fid. Cathol. l. 25. C. Theod. de Epiſc. Eccleſ. & Decim. l. 6. cum aliqvot ſeqq. C. Theod. de Hæret.* abundè confirmant, & paſſim qveruntur Zoſimus *d. l.* ac Symmachus *in Epiſt.* cùm contra Gratianus patris Valentiniani imitatione, omnibus in Oriente ſectis conventus agendi libertatem lege conceſſerit, teſtibus Socrate *l. 5 H. E. c. 2 & 4.* Sozomenô *l. 7. H. E. c. 13.* Ammianô Marcellinô *l. 30. Hiſtor.*

XII. Inventô ita Autore, circa ipſius perſonam duo inqvirenda: 1. qvô jure, ſuô, an alienô, poteſtatem ſanciendi de Religione Chriſtianâ (qvæ legis hujus ſubjectum eſt,) Theodoſius habuerit? 2. qvouſqve illa ſe extenderit? enimverò, qvemadmodum ſupra Jurisdictionem ſuam jus dicenti impunè non paretur, *l. ult. ff. de Juris dict. Rubr. & t. t. C ſi à non compet. Judic. judic. l. duumvirum 53. C. de Decur.* ſimiliter fruſtra legem obſervari poſtulat, qvi ferendi poteſtate caret, vel abutitur; ſiqvidem ab eâ Lex robur & uſum ſuum habet, *arg. l. ult. C. de LL.* unde Princeps pater legis ſcitè vocatur *in Nov. 12. c. 4.*

XIII. Et reperiuntur certè, qvi, ut Baldus alicubi loqvitur, os ſuum in cœlô ponere, & de poteſtate Principis, ſpretô *l. 3. C. de Crimin. Sacril.* fulmine, diſputare audent; nec erubuit Petrus de Vergnia *in addit. ad Butrig. h. l.* contra meros, ut ait, Legiſtas adſerere, Imperatorem poteſtatem Jurisdictionalem in ſpiritualibus potius uſurpatione habere, qvàm jure & bonâ ratione: qvos tamen refellit tùm ipſa praxis & experientia, tùm ratio hæc maximè prægnans, qvòd, cui ſalus ſumma Reip. commiſſa eſt, eidem qvoqve commiſſa & conceſſa dicamus oportet, ſine

qvibus.

qvibus illa explicari neqvit: *arg l 2.ff.de Juriſd.* Jam certum eſt, ſine aliqvâ religione neqve coaleſcere neqve perſiſtere poſſe Rempubl., ideoqve omnes JCti & Politici, *εὐσέβειαν φυλακὴν ἀνθρώπων*, Mercurio Trismegiſto, & religionem Reipubl. fundamentum eſſe, Ciceroni *l.1.de Nat. Deor.* unanimi conſenſu credunt. *Coraſius ad l.2.ff. de LL. Reinking.l.3. claſs.1.de regim.ſecul & Eccleſ.c.1.n.10. Gregorius Tholoſanus l.12.de Rep.c.4. Arniſaus l.2. de jur. Majeſt c.6.*

XIV. Eqvidem non concedimus qvidem in partes eorum, qvi ſacroſanctam, qvam colimus, religionem pro inſtrumento ſtatus habent; nec aliâ propè fini profitentur, qvàm ad magnas Reip. ſuæ utilitates, tanqvam titulum adqvirendi & bellis extendendi imperium, aut medium devinciendi ſibi animos hominum; ob qvam cauſam Regem qvendam Indum religionem Chriſtianam ſubditis ſuis conceſſiſſe narrat Renatus de Luſinga *l.2.de Increm. conſerv. & caſ. Imper.c.1.* à qvâ ſententiâ nec alieni videntur Ariſtoteles *l.5.Polit.c.11.* Cicero *l.2.de Divin.* Et talis, & ad talem finem directa fuit olim Religio Romanorum, ut apparet ex Livió *l.1.* Tacitô *l.3. annal. c.26.* Varrone *apud Auguſtinum l.3.de civit. Dei c. 4. & l. 6. c. 5.* hodie eſt Machummedanorum, Sturmius *ſerm.2.de Bell.Turcic.* Idemqve de Moſaicâ ſive Judæorum religione, ſed falſò, eſt judicium Juſtini *l.36. Hiſtor. c. 2.* Taciti *l.5. Hiſtor.c.4.*

XV. Veruntamen cùm etiam Chriſtiana Religio in Republ. exiſtat, nec res humanæ aliter tutæ eſſe poſſint, niſi qvæ ad divinam confeſſionem pertinent, & regia, & ſacerdotalis defendat auctoritas, fatente Leone Papâ *Ep. 96. ad Pulcheriam Imperatricem, relatô in c. res autem humana XXIII. q.5.* Finis qvoqve ac ſcopus, qvi, ut omni Legiſlatori juxta *rb.1.ac.2* ſic maximè Chriſtiano Principi præſtitui debet, eò ferat, ut non tantùm vitæ hujus, benè, tranqvillè, & beatè tranſigundæ ratio, ſed æternitatis etiam cura habeatur, *arg. Nov.43 ibid potentia noſtra ſubditi noſtri ſive vivant ſive moriantur, cura ſunt, & Nov 77. in pr. Lelius Zechius l. 2. de Princip. c.1. in pr. Heresbachius l. 2. de educ. Princ.c.11.*

inde

Inde ſeqvi omninò putamus hôc reſpectû tenus, ut omnes Reges ac Principes poſſunt, ſic Theodoſium in *h.l.* poteſtatem ſanciendi de Religione rectè uſurpaſſe.

XVI. Et qvidem ex jure Majeſtatis propriæ, non ex indulgentiâ, qvi dum Romæ præſidebat, Papæ; ut ſomniat Gloſſa *in c. in Synodo diſt. 63.* tanqvam Legislator, non qvaſi accenſus & miniſter poteſtatis ſacerdotalis, cujus decreta exeqvi eum oportuerit, qvale officium Imperatoribus & ſeculi Poteſtatibus *ex c. 1. & c. ſi Imperator. diſt. 96. cap. ſolita. §. præterea X. de Major. & Obed.* Canoniſtæ, & cum illis P. Gregor. Tholoſanus *l. 13. de Republ. c. 1. n. 21.* Fachinæus *l. 8. Controv. jur. c. 1.* aliiqve deferunt. oppidò erroneè. ſiqvidem Eccleſiam, qvæ in hâc vitâ militat, politicæ poteſtati ſubjicem eſſe docent Apoſtoli, Paulus *in Ep. ad Rom. c. 13. v. 3. & ad Tit. c. 3. v. 1.* ac Petrus *Ep. 1. c. 2. v. 11. 12.* confitentur priſci Eccleſiæ Doctores Auguſtinus *Ep. 50. ad Bonifac. & l. 2. contr. Petil. c. 92.* Athanaſius *in Apol. ad Conſtant.* Juſtinus *apol. 2.* Ambroſius *Ep. 88. ad Eugen. Imp.* Euſebius Samoſatenſis Epiſcopus *apud Theodoretum l. 4. Hiſt. Eccleſ. c. 15.* Gregorius Magnus *l. 2. Ep. 61.* qvin Donatiſtarum hæreticæ impietati hoc illorum dicterium, *Qvid nobis, & Imperatori?* in cauſis nimirum Eccleſiaſticis, tribuit Optatus Afer, *citatus ad hoc à M. Ant. de Dominis l. 6. de Rep. Eccleſ. c. 5. n. 162.*

XVIII. Hoc jus Majeſtatis Imperatores Romani Chriſtiani ſibi ſemper adſeruerunt. Conſtantinus Magnus in literis ad Alexandrum, ſe famulum præpotentis Dei conſtitutum, ait, propter ipſum religionis inſtitutum; ut populum illius tum verbis compellando, tûm miniſterium diligenter erga eum præſtando, tûm acriter admonendo ad mutuam concordiam traducat. *Euſebius lib. 2. de Vit. Conſtant. c. 67. & 68.* Theodoſius Junior *Nov. de Jud. Samar. &c. tit. 3.* inter cæteras ſollicitudines, qvas amor publicus pervigili cogitatione ipſi indixerit, præcipuam Imperatoriæ Majeſtatis curam eſſe perſpexit veræ religionis indaginem. Juſtinianus *Nov. 6.* ſe maximam teſtatur habere ſollicitudinem

circa vera Dei dogmata, & circa Sacerdotum honeſtatem. Carolus Magnus *in Conſtit. contra hereſin Elipandinam §. 11. apud Goldaſt Tom. 1. Conſtit. Imper.* adfirmatò dicit, ſe congregationi Sacerdotum arbitrum adſediſſe, diſcreviſſe, & Deo dante decreviſſe, qvid eſſet firmiter tenendum. Imperator qvoqve Carolus V. aliqvoties profitetur religionis curam ratione officii Imperatorii à ſe ſuſcipi debere. *Receſs. Imper. Spirenſ. de anno 1544. §.* erſtlich der ſtreitigen *Religion, &c. Receſs. Wormac. de ann. 1545. §.* Dieweil wir aber/ꝛc. *Receſs. Auguſt. de anno 1548. §.* nach dem auch in berührten Rathſchlag/ꝛc.

XVIII. Rectè proinde Demetrius Chomatenus *Reſp. 2.* (qvod extat *l. 5. Jur. Canon. Græco-Rom.*) Ὁ βασιλεὺς, οἷα κοινὸς τῶν ἐκκλησιῶν ἐπιστημονάρχης καὶ ὢν καὶ ὀνομαζόμενος, συνοδικαῖς γνώμαις ἐπιστατεῖ, καὶ τὸ κῦρος ταύταις χαρίζεται. ἐκκλησιαστικὰς τάξεις ῥυθμίζει, καὶ νομοθετεῖ βίῳ, καὶ πολιτείᾳ τῶν τῷ βήματι; h. e. Imperator, tanqvam communis Eccleſiarum ἐπιστημονάρχης exiſtens & nominatus, ſynodalibus præſidet ſententiis, & robur illis indulget: Eccleſiaſticos ordines componit, & legem dat vitæ, & communitati eorum, qvi Altari ſerviunt. & paulò poſt ſcribit: πλὴν μόνου τοῦ ἱερουργεῖν τὰ λοιπὰ δὲ ἀρχιερατικὰ προνόμια σαφῶς εἰκονίζει ὁ βασιλεὺς, i. e. ſolò ſacrorum myſteriorum miniſteriò exceptò, cœtera pontificalia jura exactè repræſentat Imperator: & ſubdit rationem: ὅτι καὶ χριστὸς Κυρίου ὁ κατὰ καιροὺς βασιλεύς ἐστι, διὰ τὸ χρίσμα τῆς βασιλείας: i. e. qvia unctus Domini eſt qvisqvis pro tempore Imperator, propter unctionem Imperialem. Et hôc intuitû Euſebius Conſtantinum Imp. communem Epiſcopum à Deô conſtitutum, *l. 1. de vit. Conſtant. c. 37.* & ipſemet ſe Epiſcopum extra Eccleſiam ſive templum appellavit *apud eundem l. 4. c. 24.*

XIX. At dubitaret nonnemo, cùm diverſiſſima ſint Sacerdotium & Imperium, illud divinis miniſtrans, hoc humanis præſidens, *Nov. 6. in præf. c. duo ſunt diſt. 6.* qvomodo in perſonâ Imperatoris miſceri poſſint? Sed in regimine Eccleſiaſticô ſeparari debet τὸ ἱερουργεῖν, ſecundùm Chomatenum, & τὸ νομοθετεῖν; ſive

ſive interna poteſtas, & externa, ut noſtrates loqvuntur: illa, conſiſtens in diſpoſitione & diſpenſatione rerum ſpiritualium, qvales ſpiritum hominis regere, fide inſtruere, ſacramentis munire, verbô Dei paſcere, ligare, ſolvere, &c. ſolis perſonis eccleſiaſticis ſive clericis ſarta relinqvitur, nec qvicqvam de illâ uſurpare Imperator, aut qvisqve Princeps jure debet: hæc verò, qvæ circa perſonas & res Eccleſiæ extra templum civiliter exercetur, Imperatoribus aliisqve Principibus Majeſtatis jure competit, docente Dn. Carpzoviô *de Leg. Reg. Germ. c.2. ſect.2. n.11.*

XX. Neqve tamen externam hanc reſtringendam arbitramur ad res duntaxat temporales, & ad negotia Clericorum cum Laicis communia, de qvibus plurimæ extant leges *Tit. C. de SS. Eccleſ. Tit. C. de Epiſc. & Cler. & alibi*, ſed eandem ſimul comprehendere ad cultum divinum pertinentia. *Gilkenius ad h. l. 1. n. 8.* Qvamvis enim Imperatoria ſive Regia poteſtas ad ſupernaturalem finem directa non ſit; qvemadmodum tamen pater filiis ſuis proſpicere, non ſolùm qvò optimè & beatè vitam agant, ſed etiam omnia externa adjumenta præſtare, ut vitâ potiantur æternâ; ſimiliter & Princeps ad eadem ſuis ſubditis ſuppeditanda tenetur: eſt enim eorum & patriæ pater. Sic qvæ fides tenenda, præcipiunt omnes leges *in Tit. C. de Summ. Trin. c.* & Edictum illud poſtremum Juſtiniani, qvod extat *T. 1. Jur. Græco Roman. lib. 8.* ſic de ſacris myſteriis ſimilibusqve diſponitur, *Nov. 58. Nov. 123. c. 32. Nov. 137. c. 2. Nov. Leon. 4. & 15.*

XXI. Diſcuſſis jam, qvæ circa Auctorem Legis inqvirere decuit, diſpiciendum ſuccedit, qvibus Lex lata ſit. Fit autem illud palàm tum ex inſcriptione legis, qvæ eſt *ad populum Urbis Conſtantinopolitanæ*; tùm ex ipſô contextû, *cunctos populos, qvos clementiæ noſtræ regit imperium*, *vel* (ut Codex Theodoſianus habet:) *temperamentum*. Supra verò §. 10. jamdum ex Hiſtoricis probatum dedimus, Theodoſio ſubjectum fuiſſe Imperium Orientale, qvod di-

ſtributum in duas præfecturas Prætorii, Illyrici Orientalis, qvæ duas diœceſes habuit, Macedoniam ac Daciam; & Orientis, cujus qvinqve fuerunt diœceſes, Oriens, Ægyptus, Aſia, Pontus, & Thracia; totius caput & ſedes Conſtantinopolis, *vid. comment. Pancirolli in Notit. Imp. Orient.* Sozomenus *l. 5. H. E. c. 4.* qvæ urbis nomen meruit κατ' ἐξοχὴν, tanqvam Nova Roma, *l. 5. C. de oper. publ.* ſicut veteri Urbis nomen per excellentiam tribuitur *in l. 1. ff. ad L. Jul. de Amb. l. 1. §. 4. ff. de Offic. Præf. Urb.* *Brechaus, Gaddæus in l. 2. ff. de V. S.*

XXII. Sed & eadem verba ad occaſionem & cauſam, qvæ ſe præbuit huic legi promulgandæ, nos deducunt, preſſiùs conſiderata, & accuratiùs diſcuſſa. Qvia enim vocabulum, *cuncti*, ſignificat conjunctim omnes, *Feſtus in v. cuncti*, refertur q; generatim ad ſingula, qvæ nominis ratio complectitur: *Fronto lib. de differ. voc. Spiegelius in Lexic. jur. v. cuncti.* idcircò dum Lex ait: *cunctos populos, qvos clementia noſtra regit Imperium, in tali volumus religione verſari;* reſpectus habetur ad ſingulas utriusq; Præfecturæ Prætorii Diœceſes, & ad ſingularum Diœceſium ſingulas ſimul provincias; (qvarum catalogus invenitur in laudatâ Notitiâ Imperii Orientalis) univerſim enim in ſingulis iſtius Religionis confeſſionem, qvam lex hæc continet, prædicari & obſervari vult Imperator.

XXIII. Erat autem eô tempore non uniformis in iſtis Diœceſibus & Provinciis Eccleſiarum facies. Illyrium enim ad Macedoniam uſqve Arianæ peſtis contagiô intacta, vetuſtam fidem ab Apoſtolis traditam, inqve Nicænô Conciliô confirmatam, ſemper integram conſervaverat: at in Oriente, omnes Eccleſiæ ſchiſmate laborabant, ſectisq; diviſæ erant, Arianorum, Macedonianorum, Eunomianorum, Novatianorum; è qvibus Ariani, freti brachiô ſeculari, orthodoxos plerisqve in locis templis ejecerant, in exilium egerant, ferrô, flammis, nudis impugnarant, adeoqve Conſtantinopoli, qvô, ut de Româ ait Tacitus *l. 15. annal.*

habe. 44. cuncta undiqve atrocia aut pudenda confluxerant, Nicenæ fidei confeſſores in exiguam cellulam conjecti erant, qvemadmodum fuſiſſimè recenſent, Socrates *l. 4. & 5.* Theodoretus *l. 4. & 5.* Sozomenus *l. 6. & 7.* cauſam malo præbente levitate Conſtantii, malitiâ Valentis, *Theodor. d. l. 5. c. 7.* & lege Gratiani, libertatem & *αὐτονομίαν* omnibus, tribus exceptis, religionibus indulgente. *Socrat. d. l. 5. c. 4. Sozom. d. l. 7. c. 3.*

XXIV. Hæ diſſenſiones circa religionem & pepererant, & parturiebant ſobolem multò neqviorem, ſeditiones & tumultus, maximè in plebe Conſtantinopolitanâ; ex qvibus poſtea enaſcebantur peſtes illæ Imperiorum, *στάσεις* & perduelliones; his qvi imperium adfectabant, allicientibus in ſuas partes, qvos noverant ab Imperatore in religione diſſentire, & eapropter exagitari. Sic Procopius & Theodorus paganæ ſuperſtitionis cultores, factâ ſpe reſtituendorum templorum & ſacrificiorum, in Valentem accenderant. *Ammianus Marcellinus l. 26. & 28.* Sic Maximus poſtea contra Valentinianum prætextû defenſionis fidei orthodoxæ bellô inſurrexit. *Theodoret. l. 5. c. 13. Ruffinus l. 2. c. 16.* Hinc & illud ſeqvebatur malum, qvòd barbaræ nationes, Gothi, Alani, Hunni, vel in commilitium à perduellibus adſcitæ, vel obſervatis inteſtinis diſſidiis, ſuâ ſponte Imperii provincias miſerè deprædarentur. *Zoſim. l. 4.*

XXV. Theodoſius itaqve ingentem malorum publicorum arborem dejecturus, prudenter animadvertit, nihil actum iri, radice niſi penitùs erutâ & conciſâ. Ante alia proinde ſtatim ſuſceptô Imperiô Eccleſiarum concordiæ curam complexus, *Theodoret. l. 5. c. 6. Auguſtinus l. 5. de Civ. Dei c. pen.* optimum factô cenſuit, variam & miſcellam religionem, Gratiani lege inductam (qvam fovere eorum eſt, qvi ſubditos, ut de priſcis Ægypti Regibus narrat Diodorus Siculus *l. 2. Biblioth. ὁμονοῆσαι* ſive concordes eſſe nolunt:) prohibere, Arianorum veſaniam, qvam legitimè in Conciliô Nicenô damnatam noverat, amoliri, & fidem *ὁμουσίας*, ut tunc vocare ſolebant, qvam totus Occidens, & in ſuis partibus Illyriciana Præfectura, unà cum Ipſô, confitebatur in

Oriente reponere, & conſtabilire. *Socrates l.5.c.6 & 7. Theodoret.d.l. Sozomen.l.7. c.4.*

XXVI. Ne verò opprimere ſubditos videretur, ſi repentè nullâ lege indicatam religionem ſuſcipiendam præciperet, monendos eos primò duxit ſuam de Religione confeſſionem edendo, qvia nec ſic inflectere ſenſus

Humanos edicta valent, qvàm vita regentis; *Claudian in Paneg. in IV. Conſ. Honor.* & omnis in fide error monendo magis qvam minando tollitur; juxta Auguſtinum *Ep. 65.* hanc itaqve Legem Conſtantinopolin præmiſit, *Sozom. d. l.* qvâ indicat ſe velle in ſuô Imperiô unam & eandem ubiqve religionem obſervari, & cauſam addit, cur hoc velit, ſupereminens putà & abſolutũ dominium per omnes Provincias Imperii Orientalis, Majeſtatis à Gratiano in ipſum transſcriptæ jure ſibi ſoli competens.

XXVII. Elici hoc poteſt ex verbis, *qvos Clementiæ noſtræ regit Imperium, vel* (ut ad hanc rem aptius *in Cod. Theod.l.2.de Fid.Cathol.* legitur:) *temperamentum*. Etenim qvi ſic reguntur, ut regimen omne non aliunde qvàm à clementiâ regentis temperamentum, & moderamen accipiat, ibi qvi Reip. præeſt, nullis jam exceptionibus, non precariò jure parendi (ut Tacitus de gente Suionum loqvitur *lib. de Morib. German.*) imperat; Eſt qvippe clementia virtus regum, qvæ ſe flectit citra id, qvod meritò conſtitui poteſt. *Senec.lib. 2.de Clement.c.3.* Unde in illâ Reip. formâ, qvod Principi placuit, legis habet vigorem; *l.1 ff. de Conſtit. Princ.* nec populus aliud dicendi jus habet, qvam illud æoli ad Junonē mihi juſſa capeſſere fas eſt. *Virg.l 1. Æn.*

XXVIII. Monſtrat ergò Theodoſius his ipſis verbis, Jus non eſſe populo contradicendi, cùm ipſe nec Imperii Orientalis provincias, nec Majeſtatis jura ex collatione populi, ſed à Gratianô, qvi in illas, velut in hereditatem patrui ſucceſſerat, ex donatô accepiſſet. Atq; adeò primus hic Imperator illud axioma, qvô etiamnun hodie utuntur Politici, *cujus eſt Regio, ejus eſt de Religione diſpoſitio, Matth. Steph.l.2. de Juriſdict.p.2.c.7.n.455.*

Leo-

Leopoldus apud Arumaeum T.1. de jur. publ. Diſc. 24 q 3. condidiſſe videtur: qvod & in Imperiô Romanô-Germanicô à Cæſare & Statibus approbari docent Commentatores *ad Conſtit. Imp. de pace religioſa de anno 1555.*

XXIX. Ratio cui innititur, ex th. 13. & ſeqq. petenda. Illud autem hinc rectè ſubſumitur, tùm poteſtatem ſanciendi de religione, qvæ in regione, aut urbe, aliâvé univerſitate coli debet, tùm jura epiſcopalia, inter qvæ eſt poteſtas diſponendi de ceremoniis & ritibus, lectionibus & cantionibus in cultû divinô, & conventibus ſacris publicis obſervandis, illi ſolùm competere, qvi habet jus territorii, ſive die Landes-Obrigkeit; (ſuperioritatem putà ſublimis & regiæ jurisdictionis univerſalis in omnes territorii incolas & convenas, *Knichen de jur. territ. c. 1.*) nihil autem talium ſibi jure vindicare, qvi gaudent titulo jurisdictionis particulari, ut ſunt idiomate germanicô nuncupati Cent-Frais-Lehn-oder Zinß-Herrn; *Colerus Conſ. 34. n. 125. Knichen d. l. c. 3 n. 240. Leopold. loc. cit. q. 3. & ſeqq. Dilling. in Compoſ. pac. c. 6. q. 32.* nec etiam qvi jus patronatôs in certô diſtrictû exercere habent, qvemadmodum in caſû & cauſâ illuſtri inclutam Facultatem Juridicam Lipſienſem Menſ. Decembr. 1646. reſpondiſſe novimus.

XXX. Cùm ex dictis jam conſtet, qvô Autore, qvibus Populis, qvâ occaſione & cauſâ Lex noſtra lata ſit, argumentum nunc porrò ejuſdem evolvendum; qvod eſt *religio*, non qvidem omnis, & qvæ juxta Ciceronem *l. 2. de Invent. c. 36.* ſuperioris cujuſdam naturæ curam ceremoniamq; adfert; ſed *Chriſtiana* ſicut *ex §. 1. hujus l.* conſtat, cuiqve ſoli illa deſcriptio Mercurii Trismegiſti à Lactantio *l. 2. de Orig. error. c. 15.* approbata, *Θεοσέβειαν εἶναι γνῶσιν τοῦ Θεοῦ*, i. e. religionem eſſe cognitionem Dei, verè convenit, argumentô textus ſacri *in Evang. Johann. c. 17 v. 3.* Sumitur enim vocabulum Religionis hîc loci non pro reverentiâ & metû Divini Numinis conſcientiæ inhærente, velut *in l. eum qvem 79 §. 1 ff. de judic. l. 1 ff de jurejur. l. 2. C de R. C. Budæus in annot. ad l. 1. §. exempli v. ſuperſtitioſum ff. de ædil. edict.* neqve pro

cultû

cultû Dei, & curâ ceremoniarum ac rituum in illô adhibendarum; *ceu in l.2.ff.de J.& J.l.1. C,de Haret. & paſſim apud Auctores;* ſed pro articulis fidei, qvam, ut loqvitur Athanaſius, *in Symb.* niſi qvisqve fideliter firmiterqve crediderit, ſalvus eſſe non poterit; qvemadmodum eôdem ſenſû uſurpatum extat *in l. nullus 2.l.nemo 4.C.de Summ. Trinit. l.omnes 2, l. Manichaos 4.§.1.C de Haret, Gloſs. Bartol. n.5. Molinaeu n. 2. ad h. l.*

XXIX. Neqve tamen de omnibus articulis fidei Chriſtianæ in hâc lege diſponitur, ſed, ut rectè advertit Henricus Scotanus *in Comment. erotemat. ad Tit. C. de Summ. Trinit.* de illis tantùm, de qvibus tunc temporis maximæ erant in Eccleſiâ, præſertim in partibus Orientis, controverſiæ, *vid. ſupr. th.23.* qvod ex ipſis legis verbis evidens eſt, qvæ ſic ſonant: *In tali volumus religione verſari, qvam D. Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis religio uſq; adhuc ab ipsô inſinuata declarat; qvamq; Pontificem Damaſum ſeqvi claret; & Petrum Alexandriæ Epiſcopum, virum Apoſtolicæ ſanctitatis: hoc eſt, ut ſecundùm Apoſtolicam diſciplinam, Evangelicamq; doctrinam Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti unam Deitatem ſub pari majeſtate & ſub piâ Trinitate credamus.*

XXXII. Duplici modô confeſſionem ſuam, in qvâ cunctos qvoqve populos ſui Imperii verſari vult Imp. Theodoſius ediidiſſe & propoſuiſſe notant Bartolus *n.1.* & Caſtrenſis *n.1. ad h.l.* primò implicitè, deſcriptione ſcil. topicâ & vulgari, deindè explicatè, definitione expreſſâ & accuratâ. Prior deſumitur à cauſâ fidei ſive doctrinæ Chriſtianæ orthodoxæ inſtrumentali, ſive miniſteriali, i. e. à Doctoribus Eccleſiæ, qvi partim prima fidei fundamenta poſuerunt, partim in eâdem fide & conſangvinitate doctrinæ perſtantes tempore promulgatæ hujus legis publicè docebant, & contra hæreticorum impugnationes eam defendebant;

qvo-

qvorum tres nominantur, *Petrus Apoſtolus, Damaſus, & Petrus Alexandriæ Epiſcopus.*

XXXIII. De Petrô Apoſtolô adſerit Imp. eum religionem tradidiſſe Romanis; unde Bernardus Waltherus *l.2. Miſcell. jur. c.3.* ſatis colligi putat, D. Petrum Apoſtolum Romæ fuiſſe, & vivâ voce docuiſſe, idqve ne qvis tantum Imperatorem vanitatis arguere qveat, teſtimonia Dionyſii, Irenæi, Hieronymi, utpote antiqviſſimorum & fide digniſſimorum auctorum profert: qvâ in ſententiâ ὁμόψηφον habet Mercerium *l.2. opin. & obſerv. c. ult.* At Molinæus *in Comment. ad h. l. 1. t.* conſeqvens illud negat, & vocabulum *Romanis* explicat de ſubjectis Imperio Romano, *arg. l. in orbe 17. ff. de Stat. homin.* inter qvos etiam fuère Judæi, *l. Judæi 8. C. de Jud. & Cœlicol.* qvorum, non gentilium, Apoſtolum fuiſſe Petrum conſtat *ex Epiſt. ad Galat. c.2 v.7.*

XXXIV. Molinæi interpretationi favet tùm incertitudo hiſtorica; multis qvippe argumentis traditionem illam, qvòd Petrus Romæ fuerit, impugnant multi, inter qvos Velenus *in peculi. tract. ap. Goldaſt. Tom.3. de Monarch.* & Meierus *in Tranſen. Theol. in 2. lachrym. Eccleſ. de Pap. Roman. pag. 74.* tùm qvòd hæc lex principaliter directa ſit ad Eccleſias Diœceſium Orientis, Aſiæ, Ponti, Bithyniæ, Cappadociæqve; *v. ſupr. th.21.23.* velut conjici qvoqve poteſt *ex l.3. C. Theod. de Fid. Cathol* (qvæ ab eôdem Imp. ad Auxonium Proconſulem Aſiæ annô ſubſeqvente miſſa eſt, & repetitionem noſtræ legis continet;) Theodoretô *l.5. H. E. c.8.* & Sozomenô *l.7. H. E. c.9.* qvibus in locis Apoſtolum Petrum Evangelium prædicâſſe in confeſſô eſt, & conſtat ex ipſiusmet *Epiſtolâ priore c.1. Euſebiô l.3 Hiſt. Eccl. c.1.*

XXXV. Veruntamen, qvia, ſive ex fide veri, ſive ex inveteratâ opinione apud antiqviores, Petrum Romæ fuiſſe, docuiſſe, & martyrium ſubiiſſe pro certô habitum, *Tertullian. de Præſcr. contr. Hær. c.36. de Baptiſm. c.4. in Scorpiac c. ult. Epiphanius in Panar. l.1 tom.2. hær.27. Euſebius l 2. H. E. c.14. & l.3. c.1. Chryſoſtom. in Pſalm. 48.* omnesqve hiſtoricos in eô conſentire, ait Chemnitius

 in

in Harmon. Evang. c. 50. neqve hiſtoricæ difficultates tanti momenti eſſe videntur, ut prudenter qvis poſſit obniti & contradicere; veluti cenſent Gerhardus *Confeſs. Cathol. l. 2. p. 1. art. 3. c. 5.* M. Ant. de Dominis *l. 4. de Rep. Eccleſ. c. 1. n. 2.* veroſimilius longè eſt, Imp. Theodoſium per *Romanos* à Petro inſtitutos in religione non provinciarum Orientis incolas, ſed ipſiſſimos Veteris Romæ habitatores intellectum voluiſſe.

XXXVI. Confirmationis ergò non abſurdè expenduntur hæc verba legis: *religio adhuc ab ipſo inſinuata declarat.* Eſt enim inſinuari, *auctore Nonio Marcellò c. de propriet. ſerm.* qvaſi ſinu accipi: & ſic verbis iſtis ſignificatur, Romanos doctrinam à Petrô traditam perpetuò, & etiam tum, cùm lex hæc promulgaretur, accuratiſſimè cuſtodiiſſe, & in ſinû pectoris acceptam retinuiſſe: qvomodo autem hoc de Orientis Eccleſiis, in qvibus tot hæreſes, tot turbæ & ſeditiones lege compeſcendæ, dici potuiſſet? at de Romanis verum erat illud adſertum, apud qvos ſolos, *teſte Hieronymô ep 57.* incorrupta patrum ſervabatur hæreditas, ibiqve coſpite terra fæcundô dominici ſeminis puritatem centenô fructû referebat, cùm contra in Oriente obruta ſulcis frumenta in lolium avenasqve degenerarent. & ideò Romanam Eccleſiam, qvod nulla ibi hæreſis publicè doceretur, Virginem eccleſiam vocat idem Hieronymus.

XXXVII. Ut verò ſcirent populi, qvænam eſſet illa Religio à Petrô tradita, idcircò adjecit Imp. *qvem Pontificem Damaſum ſeqvi claret, & Petrum Alexandriæ Epiſcopum;* Damaſi Pontificis Romani religionem, qvam Petri fidem & ſedem tenuiſſe adſeverat Hieronymus *in Expoſ. Symb. ad Damaſ. relatus in c. hæc eſt fides 14. XXIV. q. 1.* cognoſcere licet ex Epiſtolis ipſius, itemqve ex confeſſione ejus Paulino miſſâ, qvæ extat apud Theodoretû *l. 5. H. E. c. 10.* gloriatur enim de fide, qvæ Apoſtolicâ authoritate Niceæ ſtabilita eſt, *Sozom. l. 6. H. E. c. 23.* in qvâ ſocium & conſentientem habuit Petrum iſtum Alexan-

driæ

drinæ Eccleſiæ Epiſcopum, Athanaſii, ut in vitâ ſudorum & periculorum participem, ſic poſt obitum in præſulatu & doctrinâ fidei ſucceſſorem. *Theodoret. l. 4. H. E. c. 20. Socr. l. 4. H. E. c. 16. Sozom. l. 6. H. E. c. 19. & 25.*

XXXVIII. Tanta autem eâ tempeſtate utriusqve, præcipuè tamen Damaſi, fuit auctoritas, ut qvi Nicenæ fidei & orthodoxæ doctrinæ confeſſores vel erant vel videri volebant, ſatis arbitrarentur ſe clarè illud profiteri, ſi dicerent, ſe credere, qvod Damaſus ac Petrus; aut ſe communione cum Damaſô ſociari, ut videre eſt apud Theodoretum *l. 5. c. 3.* Hieronymum *Ep. 57.* qvi idem *ep. 77. ſi eis placet hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Ægyptô, hoc eſt, cum Damasô, Petrôq; condemnent*: qvòd ſcilicet nemo tàm perfrictæ frontis eſſet, qvi hos ambos hæreſeos inſimulare auderet. Ideoqve Gratianus in lege ſuâ reſtitutoriâ orthodoxos & Nicenæ fidei cultores eô ipſô ſignificari putavit, ſi communicatores Damaſi nominaret. *Theodoret. d. l. 5. c. 2.* cujus loqvendi formam Theodoſius in hâc lege imitari voluit.

XXXIX. Inde tamen non ſeqvitur, qvod notant Joh. Faber *ad h. l. n. 31.* Baldus *n. 7.* Butrigarius, Fulgoſius, Caſtrenſis, Jaſon *ad Rubr. C. de Summ. Trinit.* Mercerius *l. 2. opin. & obſerv. c. ult.* qvemlibet debere credere, ſicut Romana credit & tradit Eccleſia, & ſufficere, ſi interrogatus de fide, reſpondeat, ſe credere ſicut Romana Eccleſia: etenim Imp. reſpexit non ad fidem, qvâ Damaſus credebat, ſed ad fidem qvam Damaſus docebat, & publicè in ſcriptis profeſſus erat; *v. Theodor. l. 5. H. E. c. 10.* conformem doctrinæ Evangelicæ, ut verba legis ſeqventia indicant, & Symbolis Nicenô, ac Athanaſianô, qvæ non implicitè, ſed explicitè per omnes articulos ſcire, & interrogatus profiteri qvilibet Chriſtianus neceſſariò debet, qvemadmodum verbo, *credamus, in* h. l. cunctis populis, qvi utiqve non ex ſolis clericis conſtabant, ſed majori parte ex Laicis, imperatur. *fac. §. 1. h. l. & l. 2. §. 1. C. de Summ. Trinit. Molinæus in Comm. ad h. l. n. 2. Coraſius ad h. l. n. 11.*

XL. Quin inſuper Imperatorem Theodoſium nomināſſe Damaſum ac Petrum etiam ex hâc cauſâ, ut populis conſtaret, quos Doctores in negotiô fidei audire & ſequi debeant, non improbabile exiſtimamus. Ad curam ſiquidem Imperatoriam & officium circa Eccleſiam occupatum pertinet, conſtituere fideles Epiſcopos, & doctores idoneos, à quibus ſubditi in doctrinâ Chriſtianâ erudiantur: *Jacobus Britanniarum Rex ſeren. in βασιλικ. δωρ. l. 1. f. 62. Marſil. Patavinus in Defenſor. pac. c. 17. Nicolaus Cuſanus l. 3. Concord. catbol. c. 23.* quemadmodum enim jus conſtare non poteſt, niſi ſit aliquis Juriſperitus, per quem poſſit cotidiè in melius produci, *l. 2. §. poſt originem 13. ff. de O. J.* ita nec ſubſiſtere Eccleſia, niſi ipſi proſpiciatur de magiſtris & miniſtris, per quos ſana doctrina cotidie auribus populi inſeratur, & zizaniæ hæreticarum opinionum eradicentur. Et ob id in aliâ ſuâ lege, ad Auxonium Proc. Aſiæ, Theodoſius religionem orthodoxam non ex communione Damaſi, ac Petri, ſed ex communione Nectarii Conſtantinopolitanæ, Timothei Alexandrinæ, Pelagii Laodicenſis, Diodori Tarſenſis, Amphilochii Iconienſis, Gregorii Niſſenæ, & aliorum, Eccleſiarum in Oriente epiſcoporum deſcribit, *l. 2. C. Theod. de fid. Catbol.*

XLI. Unde quoq; rectè infertur, falſum eſſe, quod Mercerius *loc. th. 29. cit.* obſervat, Imperatorem (Conſtantinum pro Theodoſio lapſû forſan memoriæ nominat) *in h. l. noſtrâ* expreſſiſſe tres notas, è quibus vera religio cognoſci poſſit, antiquitatem *in verb. quam D. Petrum Apoſtolum &c.* conſtantiam, *in verb. quamq; Pontificem Damaſum, &c.* & univerſitatem, *in verb. & Petrum Alexandriæ Epiſcopum &c.* easq; in unam Romanam Eccleſiam cadere: ut enim aliam mentem fuiſſe Imper. *ex th. præced.* apparet; ita notæ iſtæ nec eſſentiales ſunt, nec per ſe ſatis certæ & infallibiles, quas tamen hîc examinare noſtri inſtituti non eſt; *vid. Höpfnerus in Saxon. Evang. ſect. 2. p. 1. c. 1. 4. 5. M. Ant. de Dominis l. 7. de Rep. Eccleſ. c. 10. n. 46. & ſeqq.* nec ſi eſſe concederentur, Eccleſiæ Romanæ magis convenirent, quàm cæteris omnibus in Occidente, quas eam ipſam religionem

rem, quam h. l. amplecti jubet, tenuiſſe, Hiſtoria Eccleſiaſtica abunde teſtatur.

XLII. Aliam verò notam longè veraciorem oſtendit Imp. in expreſſâ, de qvâ jam agendum, ejus definitione; *Apoſtolicam* nempè *diſciplinam, Evangelicamq́ doctrinam,* h.e. ſcripta Apoſtolorum & Evangeliſtarum, imò etiam Prophetarum, ſuper qvod fundamentum Eccleſia Chriſti ſuperædificata eſt, adſerente Apoſtolô Paulô *Ep. ad Epheſ. c. 2. v. 20.* Solius enim ſacræ Scripturæ adſertiones teſtimonium divinæ religionis vocat Imp. *in l. 2. C. de Summ. Trinit.* ad qvam omnia fidei capita exigi volunt Imperatores Majorianus *Nov. 8.* Juſtinianus *l. cognoſcere 7. §. ſeqventes 4. v. propterea C eod. Nov. 133. c. 2. & Nov. 146. c. 1. & 3.* itemqve *in Edict. de Fid. orthod. T. 1. Jur. Græco-Rom. l. 8. p. 534.* ibi: *Hæc & ex divinis ſcripturis edocti ſcripſimus;* item, *iſtam confeſſionem conſervamus donatam qvidem à magnô Deô, & Salvatore noſtrô Jeſû Chriſtô ſ. inclis ſuis diſcipulis & Apoſtolis, ab eis autem prædicatam in totô mundô.* Carolus Magnus *in Conſt. contr. bær. Elipand. n. 8.* ibi: *qvicqvid in illorum legitur libris, qvi divinô adflati ſpiritû toti Orbi à Deô Chriſtô dati ſunt Doctores, indubitanter teneo, hoc ad ſalutem animæ meæ ſufficere credens, qvod ſacratiſſima Evangelicæ veritatis pandit hiſtoria, qvod Apoſtolica in ſuis Epiſtolis confirmat auctoritas.*

XLIII. Secundùm ſcripturam itaqve eſſe ait Imp. ut *Patris, & Filii & Spiritûs ſancti unam Deitatem ſub pari majeſtate, & ſub piâ Trinitate credamus.* Et hæc eſt confeſſio fidei Theodoſianæ, qvam repetiit & clariùs extulit in Lege aliâ ad Eutropium Præf. Præt. ibi: *Unius & ſummi Dei nomen ubiq́ celebretur: Nicenæ fidei dudum à Majoribus traditæ & divinæ religionis teſtimoniô atq́ adſertione adfirmata obſervantia ſemper manſura teneat. Is autem Nicenæ adſertor fidei, & Catholicæ Religionis verus Cultor accipiendus eſt, qvi omnipotentem Deum & Chriſtum filium Dei unô nomine,* (i.e. ſimul, pariter)

 Deum.

Deum de Deô, Lumen de Lumine, qvi Spiritum ſanctum, qvem ex ſummo rerum parente & ſpiramus & accipimus, (in Cod. Theod. & fortè melius legitur, *qvi id, qvod ex ſummo rerum parente ſperamus, accipimus*, qvi in caſu ſextô, pro qvô, i.e. per qvem: eſt enim Spiritus ſanctus digitus Dei, *Matth. c. 12. v. 28. Luc. c. 11. v. 20.* & diſtributor donorum cœleſtium, *Ep. 1. ad Cor. c. 12. v. 3. & 11.) negando non violat: apud qvem intemerata fidei ſenſus viget, & incorrupta Trinitatis indiviſa ſubſtantia, qva Græco verbo ὁμουσία rectè credentibus dicitur l. 2. C. de Summ. Trinit.*

XLIV. Concordat hæc confeſſio cum confeſſione Damaſi: ſic enim ille confeſſionem ſuam ad Paulinum Epiſcopum Theſſalonicæ miſſam concludit: *Hæc igitur eſt ſalus Chriſtianorum, ut credentes Trinitati, hoc eſt, Patri & Filio & ſancto Spiritui, & baptizati in eandem, unam Deitatem & principatum, & divinitatem, & eſſentiam, ita in ipſum credamus.* Theodor. *l. 5. c. 10.* & in Epiſt. ad Epiſcop. Illyr. ſcribit: *Ubi primum vitioſa hæreticorum doctrina & blaſphemia vigere inciperet, trecenti decem & octo Epiſcopi, patres noſtri, habitô Nicææ conciliô hoc murô ad arma Diaboli arcenda fidem noſtram cinxerunt, & hac antidotô venena depulere mortifera, ſic, ut crederetur, unam eſſe Patris & Filii Deitatem, virtutem unam, unam rem, qvin etiam Spiritum ſanctum unam eandemq; cum illis ſubſtantiam habere.* Utqve hanc doctrinam de Trinitate hominum animis inculcaret, in fine Pſalmorum hæc verba, *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto, &c.* poni & cani ex conſilio Hieronymi primus inſtituit. *Hieron. in Catal. Script. Eccleſ. & epiſt. Auctor vit. Damaſ.*

XLV. Apparet hinc, confeſſionem Theodoſii in h. l. comprehendere duntaxat *articulum fidei Chriſtianæ de Trinitate*, qvi tunc temporis maximè controverſus fuit, impugnantibus eundem Arianis, Photinianis, Eunomianis, Macedonianis, qvos plurimis edictis poſtea idem Imp. compeſcere allaboravit, prout videre eſt *ex l. 6. 8. 11. 12. 13. 14. 16. 17. 23. C. Th. od. de Hæret.* Præcipuè tamen hæc Lex contra Arianos, qvi poten-

tiâ

tiâ non ſolùm alias ſectas, ſed etiam orthodoxos ſuperabant, & Eccleſias in Oriente omnes, exceptâ Hieroſolymitanâ, poſſidebant, *Sozomen. l.7. H.E.c.2.* lata eſt, qvos etiam eá admodum offenſos fuiſſe, Hiſtoriæ docent; & ideò Reges Gothorum, Arianiſmi propugnatores acerrimos, occupatis Hiſpaniis inter Leges victis Hiſpanis datas primã. *Qvicunq; corã Judicibus Legem Imperialem citaverit, morte moriatur,* ſanxiſſe, & ſe ſic de Impp. Orthodoxis ulciſci voluiſſe, tradunt Joh. Lopez *ad cap. per noſtras n.19. X. de Jur. Patron. Molinæus de Monarch. Francor. n. 30.*

XLVI. Ex hôc argumentô legis, & verbis præterea antecedentib9, *in tali volumus religione verſari,* jam de intentione Imperatoris, & fine, quem ſibi propoſitum habuit, pronunciare poſſumus. nimirum eum non ſolùm adſertivè, ſed etiam imperativè velle, unam hanc docendi formulam, nec aliam præterea, publicè ab omnibus obſervari. Verbum enim, *volo,* in Edictis Impp. non modò ſuadendi auctoritatem habet, ſed & parendi neceſſitatem importat: *arg. l.1. ff. de Conſt. Princ. Bartolus ad h. l. n. 2. Ceraſ. ad h. l. n. 5.* id quod ipſe Theodoſius factis poſtea declaravit: nam hâc lege latâ non multò poſt Conſtantinopolin veniens, Demophilum Arianorum Epiſcopum Eccleſias adhûc obtinentem accerſitum interrogavit, utrum Concilio Niceno fidem vellet adhibere, & populum ad concordiam traducere, quó abnuente, dixit, ſi pacem & concordiam fugis, te ab Eccleſiis fugere mando. *Socrat. l.5. H. E. c. 7. Sozomen. l.7. H. E. c. 5.* idemqúe leges Theodoſianæ *antea citata* clariſſimè demonſtrant.

XLVII. Miſcellam itaq; religionem prohibitam, & legem Gratiani de *αὐτονομίᾳ* & libertate religionum hâc edictali lege abrogatam eſſe, cognoſcimus: nec dubitamus utrumq; licuiſſe Theodoſio. Cùm enim officii Imperatorii eſſe dixerimus, proſpicere, ut ſubditi in verâ fidei Chriſtianæ doctrinâ informentur, & ad ſalutem æternam erudiantur: medium huic rei neceſſarium eidem denegare, non decet, quod eſt proponere cer-

te cer-

re certam formulam ſacræ ſcripturæ, & orthodoxæ antiquitati convenientem; aliter namq; unitas doctrinæ in Republ. propter naturalem hominum ad diſſentiendum facilitatem, *l. item ſi unus 17. §. pen. ff. de recept. qui arbitr. recep.* conſervari nequit; & expedit tamen, atq; etiam eò annitendum, ut in Chriſtianæ religionis veritate omnes in eâdem Republ. conſentiant: *Gerhardus ap. Arum. T. 3. Jur. publ. Diſc. 7. th. 42. Beſold. l. 1. Polit. c. 3. §. 6. th. 25. Schwartzmeier l. 1. miſcell. jur. c. 6.* eumq; in finem Imperatores ejusmodi confeſſiones fidei edictales promulgârunt, veluti Theodoſius Junior, Marcianus, Juſtinianus, *l. 3. & ſeq. C. de Summ. Trinit.* Carolus Magnus *in Conſt. contr. Hæret. Elipand.* quos imitati ſunt Carolus V. Imp. in libro Interim appellato, itemq; Principes & Status Proteſtantes in Auguſtanâ Confeſſione, & Formulâ Concordiæ.

XLVIII. Nec decebat Imperatorem ſalutis ſubditorum temporalis & æternæ curioſum, in capitibus fidei tot ſenſus ferre, quot capita: maximè cùm ſibi perſuaderet, cognitâ ſuâ voluntate & perſpectâ veritate majorem partem ad cor & mentem redituram: neq; enim omnes Ariani omnes craſſos & blasphemos errores Arii admittebant, ut de Gothis, filium Dei creaturam dicere non ſuſtinentibus, ſcribit Theodoretus *l. 4. H. E. c. ult.* multiq; adeò diritatem dogmatis verbis emolliri conabantur, ut ex citatis ſupra Epiſtolis Hieronymi liquet. Macedonianos autem ad concordiam cum orthodoxis, à quibus occaſione legis Gratiani iterum ſeceſſerant, redituros confidebat Imp. *Sozomen. l. 7. H. E. c. 2. Socrat. l. 5. H. E. c. 4.* Quâ in re ſecutus eſt Chriſtianiſſimum Conſtantinum Magnum, qui non ſolùm idololatriam gentium edictis repreſſerat, *Euſeb. l. 4. de vit. Conſt. c. 23.* ſed etiam Hæreticis conventus agendi licentium lege latâ, eventû ſecundô ademerat. *Euſeb. l. 3. de vit. Conſtant. c. 62. 63. 64.*

XLIX. Nec obſtaculo fuit lex Gratiani, præterquam enim quod poſt eam hæreſes magis exercuiſſent, & fidei orthodoxæ profeſſores ad incitas penè adegiſſet Ariana peſtilitas,

qvem-

quemadmodum ex hiſtoriá Eccleſiaſticá jam ſæpius manifeſtum fecimus; adeoq; hæc lex fraude, quæ ipſi fiebat, Remp. in ſummum periculum conjeciſſet, & conſequenter neceſſariò ſemoveri illam oporteret, *arg. eorum, quæ differit Covarruvias ad cap. alma mater p. 2. n. 2. X. de ſentent. excommun. in ſexto.* nullô jure obſtringebatur Theodoſius ad obſervantiam legis iſtius, ab Anteceſſore editæ: quia nam beneficium Gratiani merum erat illa indulgentia, revocari utiq; poterat: comparantur namq; ejusmodi conceſſiones ultimis voluntatibus, in quibus etiam ipſius auctoris voluntas ambulatoria usq; ad vitæ ſupremum exitum; *arg. l cum hic ſtatus 32. §. pœnitentiam 3. ff. de donat. int. vir. & ux. Pet. Ant. de Petra tr. de jur. quaſ. non toll. per Princ. c. 24. n. 218. & 228. Cravetta de Antiq. temp. p. 1. c. 2. n. 38.* ergò multò magis ſucceſſoris. *Gregor. Tholoſan. l. 7. de Rep. c. 20. n. 18. 29. 30.*

L. Quin etſi pro merô beneficiô & precariô conceſſio Gratiani habita non fuiſſet, adhuc tamen illa nihil ad Theodoſium, qui ſucceſſerat Gratiano, non in patrimonium, ſed in jus regni duntaxat: talis autem ad præſtanda facta anteceſſoris obligatus non eſt, *cap. abbate de ſent. & re jud. in 6. Cabotius l. 2. Diſp. c. 11. 12. Grotius l. 2. de jur. bell. ac pac. c. 14. §. 11. Arniſæus l. 1. de jur. Majeſt. c. ult. n. 3.* maxime ſi per conceſſionis obſervantiam jus & poteſtas ſupereminens imminuitur: *Reuſner. l. 4. Deciſ. 4. n. 17. Arniſ. l. 2. de jur. Majeſt. c. 2. n. 4. Cuno de pact. c. 23. n. 70.* quod omninò tunc contigiſſet, quandoquidem in iſtô Imperii Romani ſtatů religionis publicæ ſtatus ſemper ab Imperatoris arbitriô pependerat, idq; jus ab Auguſtô primum ſibi vindicatum, *Dion l. 52. Hiſt.* etiam Chriſtiani Imperatores uſurpare veriti non ſunt, quemadmodum ex legibus *in Cod. Juſtin. & Theod. Titulis de Summ. Trin. de Fid. Cathol. & de Heret.* atq; Hiſtoriographis Eccleſiaſticis palam fit.

LI. Aliud tamen dicendum foret, ſi conceſſio Gratiani nomine Imperii facta fuiſſet, tunc enim etiam Theodoſium ſimul obligáſſet, *arg. d. c. Abbate. de ſent. & re jud. in 6.* quia ſublata licèt eſſet perſona Imperatoris, manſerat tamen Imperium;

tium; (nec enim dignitas moritur, arg. *Nov. 87. c. 3.*) & conſequenter ipſa duráſſet obligatio; *Treutler. V. 1. D. 6. th. 7. lit. B. Buxdorf. ad Aur. Bull. concl. 37. lit. C.* ex quâ ſubditis jus quæſitum, niſi pœnam meritis, adimi nullô jure licuiſſet: obligatur enim in tali caſû Princeps ſicut quivis privatus, quemadmodum latè tractant *Dd. ad l. digna vox eſt, C. de LL. Vazquius l. 1. illuſtr. controv. c. 3. Gregorius Tholoſanus d. l. 7. de Rep. c. 20. Petr. Anton. de Petra per tot. tract. de jur. quaſ. per Princ. non toll.* niſi quis adſerere auderet, jus fas fuiſſe Theodoſio, Arianis, Macedonianis, aliisq; ſectariis, utpote hæreticis, fidem frangere; quâ ſententiâ nihil indignius: ſiquidem, ut laudatiſſimus Imp. Carolus V. glorioſè dixiſſe memoratur, fidem, etſi totô terrarum orbe exularet, tamen apud Imperatorem immaculatam conſiſtere oportet: *Arum. T. 1. jur. publ. Diſc. 15. th. 59.* & jam pridem axioma illud ad Orci cancros deportandum decreverunt ſaniores JCti, & Politici. *vid. Rittershuſ. in append. Nov. Comm. an heret. ſit ſerv. fid. Molanus tract. ſing. de eâd. quæſt. Zaſius in Apol. contr. Eccium. Bodinus l. 5. de Republ. c. 6. Gregor. Tholoſ. l. 8. de Republ. c. 8. n. 10. Petr. à Placa Epit. Delict. c. 37. inf.*

LII. Similiter reſpondendum, ſi Imp. Theodoſius Imperium ex pactô, & ſub certis legibus, quas inter & illa de libertate religionum fuiſſet, adiiſſet, quemadmodum hodie Imperatores Romani ad ſceptra ſic demum admittuntur. *vid. Cap. Imper. ap. Goldaſt. T. 2. Conſt. Imp. & Dn. Carpzov. in Append. Tr. de Leg. Reg. Germ.* quin enim abrogandi poteſtate caruiſſet, dubitari nequit. *vid. th. praced. Syring. ap. Arum. T. 2. jur. publ. Diſc. 10. th. 29.* Idemq; prorſus ſequeretur, ſi provinciæ Imperii, cui Theodoſius præerat, Rectoribus ſuis hereditariô jure quæſitæ fuiſſent, & jus territoriale, plenaq; & ſupereminens jurisdictio competiiſſet: velut hodie in Principibus Germaniæ videmus; quia namq; tales habent jura Imperialia ſive Majeſtatis, & ideò facere poſſunt in ſuis territoriis, quæ Imperator in totô Imperiô: *Decianus V. 4. Conſ. 5. n. 17. Knicben tr. de jur. territ. c. 1 n. 39. & per tot.* idcircò etiam in iisdem habent jus conſtituendæ religionis

ligionis eidem connexum: *Beindorf. apud Arum. T. 2. Jur. publ. diſc. 10. th. 79. v. ſup. th. 28. 29.* hujusmodi quippe proceres & ſtatus capite quidem ſuô inferiores ſunt, *Knichen de Saxon. non provoc. jur. c. 1. Ant. Coler. de Jur. Imp. Germ. th. 39.* & regnantur, non tamen ſupra libertatem, ut de Gothonibus refert Tacitus, *de Morib. German.*

SECTIO II.

LIII. Hucusq; prima pars Legis: Sequitur altera pars, *Sanctio* nimirum. Hôc nomine ſignatur noviſſima pars legis, pœnam vel generaliter vel ſpecialiter irrogans iis, qui præceptis legis non obtemperaverint, *l. ſanctio 41. ff. de pœn. Macrobius l. 2. de Somn. Scip. c. ult.* à quâ parte leges ſanctæ nuncupantur, *§. ſanctæ 10. J. de R. D. l. ſacra 9. §. 3. ff. eod.* i. e. incorruptæ, & ab injuriâ hominum defenſæ ac munitæ. *l. ſanctum 8. ff. eod. Macrob. l. 3. Saturnal. c. 3.* Et quia ex naturâ contrariorum, in eâdem parte, quâ pœna ſancitur, collocari debet præmium; *arg. l. 1. §. 1. ff. de J. & J. Muretus ad l. legis virtus 7. ff. de LL.* idcircò etiam in Sanctione legem obſervantibus præmium à Legislatoris munificentiâ ſæpiùs confertur, cujus æquè magna habenda ratio, cùm, ſecundum Solonem, Respubl. duabus rebus, præmiô & pœnâ, contineatur. *Cicer. ep. 15. ad Brut. Scip. Amiratus l. 2. diſſert. ad Tacit. c. 2.*

LIV. Utrôq; Imp. Theodoſius legem ſuam communiit, ut cognoſcitur *ex §. 1. h. l.* Atq; ut de præmiô primùm diſpiciamus, prænoſcendum, duo eſſe genera præmiorum, honeſta & utilia, ſive honorem & utilitatem; *Bornitius l. 2. de præm. in Rep. decernend. c. 1.* ille divinum quaſi præmium eſt; *Cicer. l. 1. de Offic.* quô benemeriti Deo O. M. qui pro ſuâ beneficentiâ inexhauſtâ nihil niſi honorem & gloriam deſiderat, approximant; *Bornit. d. l. 2. c. 2.* cujus Symbolum inter alia eſt titulus, & nomen excellentiam & prærogativam importans: *Bald. ad h. l. n. 4. Bornit. d. l.* pulchrum enim & honorabile, ut pulchrô nomine nominetur quis, ait Fulgoſius *ad h. l. n. 6. arg. l. ſciendum 7.*

 l. facta

l. facta 37. §. ſi verò nominis 10. ff. ad SC. Tribel. l. hoc jure 19. ff. de donat. idq; & antiquiſſimum, & imprimis glorioſum habitum eſſe conſtat. Sic Pharao Joſephum nomine ſingulari, *Abrech* i.e. *Patris Patriæ* præmiavit; *Gen. c. 41. v. 43.* quo etiam S. P. Q. R. Cæſarem Octavianum Auguſtum conſalutârunt; *Dion l. 53. Hiſt. Sveton. in Auguſt. c. 58.* ſic idem populus Sempronium Σόφον, Senatus Scipionem Naſicam Optimi nomine inſigniverunt, *l. 2. §. fuit poſt eos 37. de O. J.*

LV. Convenienter itaqve ſecundùm Apoſtolicam diſciplinam Evangelicamqve doctrinam credentes Imp. ſimili præmió honoravit, his verbis: *Hanc legem ſeqventes, Chriſtianorum Catholicorum nomen jubemus amplecti.* Chriſtiani dicti ſunt diſcipuli, & auditores Apoſtolorum primùm Antiochiæ, teſte Lucâ *in Act. Apoſt. c. 11. v. 26* poſteà ubiqve; ſumtâ appellatione à Capite & Dominô ſuô Chriſtô, tanqvam uncti ab unctô: *cap. 1 §. qvia verò X. de ſacr. unct.* appoſitè eqvidem triplici ſimilitudine. Primò qvemadmodum ſervi in jure noſtrô nomen non habēt, gentile ſcil., ſed χαρακτηρίζονται, i. e. perſonæ notâ ſignantur ex perſonâ Domini: *Theophilus in Paraphr. ad pr. J. de ſtipul. ſerv.* ſic Chriſtiani, qvi per Chriſtum ſervi Juſtitiæ & de familiâ ejus facti ſunt, *Ep. ad Rom. c. 6. v. 20. 22.* characterem & nomen ab eô ſuſcipiunt; honorem autem eſſe, ſi ſervus nomine Domini appelletur, notant Gloſſa *in v. Chriſtianorum.* Bartolus *n. 1.* Baldus *n. 2.* Petrus à Bellapertica *n. 1.* & Butrigarius *ad h. l.*

LVI. Qvemadmodum 2. ſervi manumiſſi in communionem nominis gentilitii, qvod Patrono erat, adſumebantur, ut ex inſcriptionibus claret: *Gutherius l. 2. de vet. jur. Pontif. c. 7.* ita homines, qvi cùm ſervi eſſent peccati, Chriſti beneficiô â peccatô manumiſſi, & ad ſpiritualem perducti libertatem. *Joh. c. 8. v. 34. 36. Ep. ad Rom. c. 6. v. 20. 22. & c. 8. v. 2. Ep. ad Galat. c. 5. v. 1.* ab eô jure optimô denominationem ſumſerunt; idqve 3. etiam hâc ratione, qvòd non liberis modò, ſed ſimul per gratiam

tiam

tiam Baptiſmalem, ut ait Ludolfus Carthuſienſis *de vit. Chriſt. c.10.* & unctionem nobis communicatam, ut habet Archidiaconus *in cap. decet, de immun. Eccleſ. in 6.* dedit eſſe filiis regni, *Matth c.13.v.38.* & Dei, *Ep. ad Galat. c.3.v.26.* hæredibus Dei,& qvidem domeſticis ſive ſuis, *d. Ep. c.4 v.7. Ep. ad Epheſ. c.2.v.29.* ſuis fratribus & cohæredibus: *Ep. ad Rom. c.8.v.17.29.* moris autem non incogniti eſt, filios arrogatos aut adoptivos tranſire in nomen arrogatoris aut adoptantis, maximè in bona ſimul & hæreditatem vocatos, ut multis auctoritatibus probat *Briſsonius l.7. de formul.*

LVII. Additur verò in d. §.1. legis noſtræ epitheton *Catholicorum*, qvod deſcendit ex appellatione religionis ſive fidei, qvam hâc lege docet Imperator, *arg. l.2.§.1. ibi: Nicenæ fidei & Catholicæ religionis verus cultor*, & §.2.*ff.b.t.* fides enim iſta Catholicæ nomen non ſolùm apud Patres paſſim gerit, ſed & in legibus habet; *Rubr. C. de Summ. Trinit. & fid. cathol. l.1. C. de Hæret. Nov.109. Nov.132.* & inde qvoqve Eccleſia nuncupatur Catholica in Symbolô Nicenô, & *l.5.6.7. C. eod.* ac paſſim. Catholica verò non interpretandum cum Canoniſtis, Romana; ſed ita dicitur, definitore Cyrillô *in Catechef. c.18.* qvia docet καθολικῶς καὶ ἀνελλιπῶς, i.e. univerſaliter & non-defectivè ſ. perfectè omnia dogmata qvæcunqve homines tenentur agnoſcere; congrua ſcilicet catholico ſacræ ſcripturæ ſiſtemati, & doctrinæ ab Apoſtolis per totum orbem terrarum prædicatæ, ab eorumq; ſucceſſoribus ad omnes credentes, ubicunqve & qvotâcunqve multitudine inveniuntur, jugiter propagatæ, *d. Nov.132. ibi: Omnis orbis terrarum ſanctiſſimi Sacerdotes ad concordiam copulentur, & conſone immaculatam Chriſtianorum confeſſionem prædicent.* Et infra: *concurrant ad ſanctam Dei Eccleſiam in qvâ recta prædicantur dogmata. Gloſſ. in Rubr. v. Catholicâ. Scotanus in Comment. Erotemat. C. de Summ. Trinit. Molinæus in Comm. ad b. l. n.1.2.* Hinc Coraſius *in Comm. ad b. l. n.14.* non malè ſcribit, Catholicos ex-

poni hic debere veros, pios, fideleſqve Chriſti Dei cultores, *arg. l.1.C.de Epiſc.Audient.*

LVIII. Fuit præmium, ſupereſt expendenda pœna, immorigeris ab Imp. interminata his verbis: *reliqvos verò dementes veſanosq́ judicantes hæretici dogmatis infamiam ſuſtinere, divinâ primùm vindictâ, pòſt etiam motûs animi noſtri, qvem ex cœleſti arbitrio ſumſerimus, ultione plectendos.* Vocabulum *reliqvos* reſpicit ad antecedentia verba, *hanc legem ſeqventes*, & deſignantur eò omnes illi, qvi in articulô de ſacroſanctâ Trinitate aliter docebant, qvàm Symbolum Nicenum, confeſſionesqve Damaſi, Petri, aliorumqve ὁμοȣσίας adſertorum, & hæc Imperatoris habent, Ariani nempè, Photiniani, Eunomiani; Macedoniani, *v.ſupr.th.45.* judicat verò Imp. illos dementes, i.e. omnium rerum divinarum intellectu deſtitutos: Eſt enim dementia ablatus omnium rerum intellectus; *Qvintilianus Declam.* & animi adfectio lumine mentis carens: *Cicero lib.3 Tuſc. qvæſt.* veſanos qvoqve judicat, ſive minimè ſanos ob eundem adfectum: qvemadmodum Salvator noſter viatores illos Emaunticos de ſe contra Moſen & Prophetas erroneè ſentientes, *Luc. c.24. v.25.* & Apoſtolus Paulus Galatas, à ſinceritate fidei Chriſtianæ deficientes, ἀνοήτȣς appellant; *Ep.ad Galat.c.3.v.1.*

LIX. His itaq; dementibus & veſanis triplicem denunciat pœnam: prima eſt oppoſita præmio: ſicut enim honorificum eſt, habere bonum nomen, ſic dedecoroſum, appellari turpi & probroſo nomine, ut notant Dd. *ad h.l. citati ſupr. th.56.* nomen illud eſt *hæretici dogmatis infamia:* non enim Chriſtiani nominandi ſunt, quod nomen eſt veræ religionis, competens illis, qui Chriſtum ejusq; Apoſtolos magiſtros ſequuntur; *l.2.§.2.C.de Summ.Trinit.* à quibus cùm diſſentiant,

& in

& in diverſas à ſcripturis ſacris abeant ſententias, nomen iſtud ipſis alienum eſt, & conſequenter ſine fraude non uſurpatur, quod leges vetant; *l. un. C. de mutat. nom.* itaq; ſuis apertis criminibus meritò denotari debent, *d. l. 2. §. 2.* ab ipſâ quidem ſeparatione dogmatis à catholicâ fide, *Haretici, h. l.* à magiſtris verò, quorum dementiam probant, Ariani, Photiniani, Macedoniani, Eunomiani, Porphyriani *l. damnato 6. C. de Haret. l. 6. C. Theod. eod.* ut quorum ſcelus ſunt in deſerendo Deum imitati, eorum vocabula jure videantur ſortiti, *d. l. 6.*

LX. Sed operæ erit conſiderare, quem Theodoſius cenſeat Hæreticum eſſe, & quibus notis in hâc lege deſignetur: quarum 1. eſt dogma non conforme doctrinæ Apoſtolorum, probatur ex verb. *quam D. Petrum Apoſtolum &c.* & *ſecundum Apoſtolicam disciplinam, evangelicamq; doctrinam*, add. *Epiſt. ad Galat. c. 6. v. 16. Epiſt. 2. Joh. v. 10. can. quid autem 30. XXIV. q. 3. leg. nemo 4. ibi:* juxta apoſtolicas expoſitiones, *leg. cum recta 5.* ibi: *ſequentes ſanctorum Apoſtolorum dogma C. de Summ. Trinit.* & 2. diverſum à dogmatibus Eccleſiæ Catholicæ, quæ perſtat in fide & doctrinâ Apoſtolorum; probatur ex verb. *quamq; Pontificem Damaſum &c.* add. *d. l. 4. 5. 6. 7. C. eod. l. omnes 2. §. ult. C. de Haret. Nov. 109.* Hinc 3 deducitur nota, novitas dogmatis, quam ipſa vox hæretici inſinuat, add. *Ep. 2. Petr. c. 2. v. 3. c. hareſis 27. c. haereticus 28. XXIV. q. 3. d. l. 2. §. nemo, ibi: qua reperit, C. de Heret.* 4. naufragium fidei ſive impius & blaſphemus error in articulô fidei fundamentali, & ad ſalutem æternam conſequendam neceſſariô; probatur ex verb. *Patris & Filii & Spiritus Sancti unam Deitatem &c.* add. *Epiſt. 1. ad Timoth. c. 1. v. 19. 20. Epiſt. 2. ad Tim. c. 2. v. 16. & ſeqq. Epiſt. 2. Petr. c. 2. v. 1. 2. l. 2. & ſeqq. C. de Summ. Trinit. t. t. C. de Haret.* 5. pertinacia in defen-

defenſione erroris poſt admonitionem, & legitimam ejus condemnationem ab Eccleſiâ factam: quam notam probat ipſa intentio Theodoſii, de quâ *ſupr. th. 47. & ſeqq.* add. *Epiſt. ad Tit. c. 3. v. 10. 11. Epiſt. 2. Petr. c. 2. v. 10. c. dixit Apoſtolus 29. c. quia in Eccleſiâ 31. XXIV. q. 3. l. 2. §. ult. in f. & ſeqq. C. d. t.* cui notæ plerumq; cohæret contemtus Magiſtratûs, & diſſeminatio hæretici dogmatis contra leges & edicta, ut liquet ex *cit. epiſt. 2. Pet. c. 2. v. 10. & ex LLus C. de Summ. Trinit. & t. t. C. de Haret. Nov. 132.*

LXI. In quibus itaq; hæ notæ apparent, ut tempore promulgatæ hujus legis in Arianis & omnibus doctrinæ de Sacroſanctæ Trinitate impugnatoribus, quos per Concilium Nicenum erroris blaſphemi ex ſacris literis convictos legitimè condemnatos, Imperator Theodoſius de eodem hîc edictaliter admonet & abſtinere jubet; illi meritò hæretici vocantur, & hæretici dogmatis ſuſtinent infamiam, i. e. dedecus & opprobrium; non enim, quod Dd. volunt, hæretici infamiâ, ſenſû juridicô hîc notantur; eſſet quippe infamia juris, non facti, ut benè animadvertit Coraſius *ad h. l. n. 15.* quâ notati nec ad teſtimonium dicendum, *l. quaſitum 13. cum ſeqq. ff. de teſtib.* nec ad dignitates admittuntur; *l. 2. C. de dignit. lib. 12.* at eô temporis hæretici non repellebantur à teſtimoniô dicendô, ut argumento eſt *l. penult. C. de haret. Nov. 45.* nec à dignitatibus, & militiis arcebantur, quod longè poſtea Juſtinus conſtituit *in l. Manichaei 12. C. de haret.* & ſequitur Juſtinianus *in l. qua de Samaritis 18. C. eod.*

LXII. Altera pœna violatoribus denunciata eſt, *divina vindicta*, quam Gloſſa *ad h. l. v. divina*, exponit eccleſiaſticam, quæ eſt degradatio Clerici, & iàm hujus quàm laici capitale ſupplicium, *cap. ad abolendam 9. cap. vergentis 10. cap. excommunicamus 13. §. damnati. X. de haret.* & quidem vivicrematio; *Aretinus ad h. l. Panormitanus ad d. cap. ad abolendam. Grillandus*

laudus de Hæret. q. 3. quod diſplicet Alciato, *ad h. l. n. 12.* & rectè: nam in primitivâ Eccleſiâ hæretici pœnis temporalibus non coërciti, ſed judicio Dei relicti fuerunt puniendi, quemadmodum ex Patribus & Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ cognoſcere poſſumus; atq; ita verba hæc, *divina vindicta*, ex *l. 2. C. de R. C.* interpretantur Bartolus *n. 10.* Baldus *n. 6.* Caſtrenſis *n. 1.* Alciatus *n. 14.* Coraſius *n. 16. ad h. l.* quæ pœna, cùm ſit ignis æternus, *Johan. c. 15. v. 6.* (unde Canoniſtæ perperam elementarem & rogos carnificum excitant) Bartol. *d. l.* Alciat. *d. l.* Zaſius *in Apol.* Covarruvias *l. 2. var reſol. c. 10. n. 10.* cujus ſupplicium nullâ cogitatione ſatis comprehendi poteſt, ad deterrendos veſanos illos homines efficaciſſima Imperatori non immeritò viſa eſt.

LXIII. Et tamen ſuperaddit tertiam pœnam, *ultionem motus animi ſui*, neqve hoc malè: qvanqvam enim qvod in divinam religionem committitur, directò qvidem divinam lædit Majeſtatem, per conſeqventias tamen in omnium fertur injuriam, *l. Manichæos 4. §. 1. C. de Hæret.* & per Hæreſin ipſa Reſpubl. concutitur; ideoqve hæreticos pœnâ ſimul temporali coërceri juſtitiæ ratio poſtulat: *c. qvando vult Deus 39. c. non invenitur 41. XXIV. q. 4.* maximè ubi licentiâ deteriores fiunt, & impunitate ipſâ alii incitantur ad ſimilia delicta, ut propterea exemplô opus, & unius pœna metus multorum ſit: *l. aut facta 16. §. ult. ff. de pœn. l. 1. C. ad L. Jul. repetund.* qvod tempora Theodoſii producendis hæreſibus nimioperè fœcunda, *vid Ruffinus l. 2. H. E. c. 20. Socrates lib. 5. H. E. c. 4. 20. 22. 23. Theodoretus l. 4. H. E. c. 10. 11.* Sozomenus *l. 6. c. 25. 26. & l. 7. c. 7. 17. 18.* neceſſariò deſiderabant.

LXIV. Pœna verò certa hic non conſtituitur, neqve etiam conſtitui poteſt aut debet, cùm hæreticorum non eadem ſit conditio, non idem meritum: qvidam enim ſolùm errant, nec tamen blaſphemas fovent opiniones, aut tumultus con-

E ciunt,

ciunt, qvales Theodoſii ætate Novatiani, qvos ipſe neutiqvam puniendos cenſuit, ſed æqvè ut orthodoxos in Eccleſiis conventus agere permiſit: *Sozomenus l. 7. H. E. c. 12.* qvidam blaſphemi ſimul ſunt, & hi vel auctores ſectæ, qvales ſub Theodoſiô Eunomius, qvem finibus Imperii ejectum exiliô damnavit; *Sozomenus d. l. 7. c. 17.* vel Secutuleji qvibus Theodoſius diverſas pœnas minatus eſt, nempe Sacrorum interdictionem, demolitionem eccleſiarum, depoſitionem ab ordine cleri, & relegationem ex urbibus, *l. 2. §. 2. C. de Summ. Trinit. l. 8. l. 10. l. 11. l. 13. & 14. C. Theod. de Hæret.* privationem juris teſtandi, & capiendi ex teſtamentô, itemqve juris ſuccedendi ab inteſtatô, *l. 7. l. 9. l. 17. C. Theod. eod.* mulctam 10. librarum auri, *l. 21. C. Theod. eod. Auguſtinus Ep. 50. ad Bonif. relatus in c. ipſa pietas 24. XXIII q 4.* qvas tamen non executum eſſe, ſed ultione contemtâ tantùm Catholicis de Eccleſiarum reſtitutione proſpexiſſe tradunt Ruffinus *l. 2. H. E. c. 19.* Sozomenus *d. l. 7. c. 12.*

LXV. E qvibus jam illa legis verba, *motus animi noſtri, qvem ex cœleſti arbitriò ſumſerimus, ultione plectendos*, clara fiunt; indeqve rectè infertur, hæreticos pœnâ arbitrariâ puniendos eſſe, qvam usqve ad corporis afflictivam, imò etiam ad mortem, ſi hæretici ſeditione, aut aliter in ſtatum publicum delinqvant, extendi poſſe, verius videtur. *arg. l. 11. C. de hæret. junct. l. 1. §. 1. ff. ad L. Jul. Majeſt. l. ſi qvis aliqvid 38. §. 2. ff. de pœn l. ult. C. de ſeditioſ. Dn. Carpzovius in pr. crim. p. 1. q. 44. n. 47.* qvanqvam in pervicaci & lenioribus remediis inflexibili ſeditione adhuc malorum pœnitentiæ, bonorum conſenſui dandum ſpatium, exemplô Theodoſii, & præſertim omne adſerendæ ab erroribus religionis negotium leniter ſenſimqve peragendum, ut qvam minimô ſonitû orbis ille in Republ. convertatur, *Cicer. l. 2. ad Attic. ep. 9.* cum Lipſiô *l. 4. Pol. c. 11. l. 6. Pol. c. 4.* & Tuldenô *l. 2. differt. Socrat. 4.* cenſemus; plurimi qvippè in religione errantes (ut de Alemannis loqvitur Aga-

thia